CONSTITUTIONES

SYNODALES MARSICENSES

SUB EXCELLENTIS. ET REVERENDIS. DOMINO

D. PETRO IGNATIO MAROLDA

CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS

SACRAE THEOLOGIAE DOCTORE, ET MAGISTRO

EQUITE COMMENDATORE REGALIS ORDINIS

FRANCISCI I.

DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPO

MARSICENSE, ET POTENTINO.



POTENTIAE MDCCCXXXV.

Typis Antonii Santanello.

Copia ec. — MINISTERO, E REAL SEGRETERIA DI STATO DEGLI AFFARI ECCLESIASTICI — 2.° Ripartimento — N.° . . — *Illustrissimo, e Reverendissimo Signore* — SUA MAESTA' *nel Consiglio ordinario di Stato del dì 8 del corrente mese si è degnata permettere, che Ussignoria Illustrissima e Reverendissima possa dar corso a' Sinodi celebrati nelle sue Diocesi: salvo il diritto del Regno, e la sua vegliante Polizia.* — *Nel Real Nome glielo partecipo in riscontro al suo rapporto de' 26 del trascorso mese di Settembre per sua intelligenza, ed uso corrispondente.* — *Napoli 10 Dicembre 1834.* — Firmato — D' ANDREA. — *Monsignor Vescovo di Marsico, e Potenza.*

IN NOMINE D. N. J. C.

INDICTIO

DIOECESANÆ SYNODI MARSICENSIS

PETRUS IGNATIUS MAROLDA
CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS
SACRAE THEOLOGIAE DOCTOR, ET MAGISTER,
EQUES COMMENDATOR REGALIS ORDINIS
FRANCISCI I.
DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA
EPISCOPUS MARSICEN. ET POTENT.

Nihil sanctius, nihil antiquius fuit in Ecclesia, et Patres solemne habuerunt, quam Synodorum celebrationem, ut Religioni, ac moribus, disciplinaeque Ecclesiasticae prospicerent. Manus Nostras a primo momento, quo a Divina Providentia fragili Nostrae curae regimen hujusce Ecclesiae Marsicensis, ac onus Angelorum humeris ipsis formidandum, fuit impositum, adnectere tanto operi debuimus. At satius credidimus omnia, quae ad rem maxime arduam, ob transactas temporum vicissitudines, ad disciplinam non parum labefactatam, corruptosque mores, atque zizanium ubique locorum diffusum, spectabant, propriis oculis perspicere, ac quasi Nostris manibus contrectari, magis, magisque Synodalibus Constitutionibus ad meliorem frugem reddere, atque stabilitate firmare. Enimvero per duo et amplius lustra lustrari

hanc Nostram Marsicensem Dioecesim, juxta Sacrosancti Concilii Tridentini Constitutiones, quotannis non destitimus. Testis est Deus, quot lacrymis, ac Nostri spiritus gemitibus, Ecclesiae Dei ruinam, hominum improbitatem, scandala, Ordinis Ecclesiastici laxamentum deploravimus! Interim pigri non fuimus, nec laboribus pepercimus, ut cuncta Edictis in Sancta Visitatione emissis, Notificationibus, ac Encyclicis, Verbo Dei, Missionibus, nunc monendo, nunc minitando, etiamque aliquando puniendo, ad pristinum reducta in Salvatoris gaudio videremus. In vacuum tamen non laboravimus, nec in cassum fuit; immo fere omnia restituta, haec Nostra Cathedralis Ecclesia, ceu a fundamentis erecta, atque duobus perquam maxime necessariis officiis, Theologali nempe, ac Poenitentieriae, quibus ab initio (nescimus quali Divino imperscrutabili judicio) caruerit decorata, ac pro iisdem Praebendis constitutis, necnon Canonicorum numero absoluto; Seminarium, quasi de novo, et in meliori forma compactum; Disciplina Ecclesiastica revocata; omnesque de Clero habitu, incessu, conversatione, et honestate, quoad fieri potuit, compositi. Civitatis, et Dioecesis Ecclesiae suis Rectoribus, ac Participantibus provisae ad formam Bullae *Impensa* sub die XIII. Augusti anni 1819 praeclarae memoriae Pii VII., Regio Placito septimo Septembris ejusdem anni munitae, non Nostris viribus, sed Dei Misericordia, ac Jesu Christi, Nostrarum animarum Episcopi, meritis, et auxilio speciali cuncta compita sunt, et mirantur. Partem etiam gregis Christi meliorem, ac praestantiorem, Moniales nempe tam in hac Civitate, quam Saponariae, ubi Monialum de duobus unum, ne ambo, ob reddituum, ac Individuarum deficientiam destruerentur, Apo-

stolica, Regiaque auctoritate efformatum, degentes, ob oculos habuimus, ut juxta Concilii Tridentini, et Sacrae Congregationis Episcoporum, et Regularium Decreta, paupertas, clausura, vita communis, quoad fieri potuit, et Regularis observantiae restaurentur. Tempus jam est, ut haec, aliaque omnia ad maximam Dei gloriam, et jam pro Civitate, et Dioecesi Potentina, etiam Nostra Marsicensi canonice, et perpetuo inter se unitis, easdem Constitutiones, quae servatis servandis, et paucis immutatis, die XXV. mensis Maji currentis anni fuerunt evulgatae, coacta Synodo promulgentur. Superno lumine ducti, fide firma, ac corde puro, hac Nostra, Synodum Dioecesanam Marsicensem jam jam cogere intendimus, praescribimus, ac pronuntiamus. Omnes igitur, et singulos de Capitúlo Cathedralis Marsicensis, Dignitates, Canonicos, Mansionarios, seu Cappellanos, Parochos Civitatis, Dioecesis Archipresbyteros, Beneficiarios, omnes, ad nutum nostrum ad animarum curam destinatos; omnes qui Nostrae Curiae singulis in locis vices nostras faciunt, qui Vicarii Foranei dicuntur; omnes qui in Capitulis, seu Cleris aliqua gaudent praeeminentia; necnon omnes, quibus Sacramentales Confessiones utriusque sexus Fidelium excipere indulsimus; uniuscujusque Cleri Procuratores; omnes demum, qui convenire de jure tenentur, vel consuetudine, hac Nostra Indictione vocamus, requirimus, monemus, citamus, ut hanc Marsicensem Civitatem accedant, ac Synodo, quae die octava mensis proximi Septembris, Almae Virginis Mariae Nativitati dicato, initium habebit, ac sequentibus diebus nono, et decimo interfuturi, eo habitu induti, quo Choro convenire solent, in hac nostra Cathedrali Ecclesia ad Omnipotentis Dei, B. Virginis in Coelum glo-

riose Assumptae, et S. Georgii Martyris, Sanctorum Januarii principalis Patroni, et Augustalis, quorum Corpora in ea venerantur, Sanctorumque omnium gloriam, et honorem habenda, et celebranda. Omnes igitur, et singuli sub poenis in Sacris Canonibus contentis, et etiam trium librarum cerae albae, ac omnibus Synodi functionibus, et actionibus interesse tenentur, saltem per Procuratores, qui Nobis, vel Nostro Vicario Generali sint bene visi, et nemo sub iisdem poenis, nisi re penitus absoluta, discedat. Et ne ignorantiae pretextu aliquis excusari possit, hoc Nostrum Edictum ad valvas Nostrae Cathedralis Ecclesiae, et in omnibus Dioecesis Matricibus Ecclesiis affigi volumus, atque mandamus. Hortamur demum, et in Domino obsecramus, ut a praesentis Edicti publicatione in omnibus Ecclesiis tum Cathedrali, tum Matricibus Localibus, quinta quaque feria Missa de Sp: Sancto celebretur, et in Missis privatis ab omnibus tam de Clero Saeculari, tam Regulari Collecta addatur de eodem Spiritu Sancto, et Fideles moneantur, ut in die septima mensis Septembris, quae praecedit, vere poenitentes, et confessi, sacram sumant Eucharistiam, Deum Patrem deprecantes, ut quae ad Sui gloriam, Ecclesiastici Ordinis, morumque reformationem spectant, in Synodo agantur, atque statuantur.

Datum Marsici die 25 mensis Julii anni 1834.

Petrus Ignatius Congregationis SS. Redemptoris Episcopus Marsicen. et Potentin.

SESSIO I.

DIE 8 SEPTEMBRIS MDCCCXXXIV.

DE IIS, QUÆ AD RELIGIONEM SPECTANT.

Nihil antiquius Synodorum conventu, atque Patres omnes, ut Religioni prospicerent, Concilia pro universa Ecclesia, ac pro Dioecesibus Synodos habuerunt. Nos eorum vestigia sectantes, Dioecesanam Synodum in Spirito Sancto congregare ediximus. In ea de iis, quae ad Religionis officia servanda, ad Sacramenta, qua par est sanctitate, administranda, et suscipienda, necnon ad morum reformationem in nomine Jesu Christi tractaturi sumus. Procul tamen sit a nobis graviora onera, quae a levi quidem jugo Domini abhorrent, subditorum humeris imponere. Quapropter a censurarum laqueis, quibus Decessorum nostrorum sanctiones sunt circumretitae, praesenti Decreto ordinaria Auctoritate animos eximimus, censuras omnes revocando, ita ut illae paucae dumtaxat, quae hisce nostris confirmantur post tres menses ab harum promulgatione decursurae, vigorem habeant.

CAPUT I.

DE FIDE.

1. Cum fides sit initium, et fundamentum humanae salutis, virtutum omnium fons, ac origo, omnisque justificationis radix, summo studio, Fratres, Filiique dilectissimi, curare debemus, ut pura mente, atque conscientia bona perpetuo conservetur. Ea enim est petra angularis, super qua

ingentior moles excreta nulli inundationi, nullique tempestati cedat. Hinc est quod Sacrosancti Conc: Trid: (1) vestigiis inhaerentes, pro fidei tuendae cura, pro subditorum moribus moderandis, excessibus corrigendis, et malis omnibus emendandis, breviter statuenda, et decernenda censuimus.

2. Ut autem omnia, quae diximus, spiritu ferventi fiant, antequam ad edicendas Constitutiones gradum faciamus, fidem ipsam expresse profiteamur, oportet. Eamdem pariter omnes quotquot huc Clerici convenerunt, et quibusvis Ecclesiasticis beneficiis provisi, palam confitebuntur. Deinceps vero Dignitates, et Canonici nostrae Cathedralis, tum Archipresbyteri, seu Parochi, tum illi, qui alia quaevis beneficia simplicia assecuti fuerint, tum Vicarius noster pro tempore Generalis, ubi primum munus capessit; tum Confessarii recenti examine approbati, etsi Regulares, tum Concionatores cum primum in Ecclesia Nostra os aperient, coram Nobis, aut eodem Vicario juxta formulam Pianam Fidei professionem eliciant. Contumaces, si Beneficiarii fuerint, elapso bimestri, fructus non faciant suos. Dignitates vero, ac Canonici Cathedralis eorumdem fructuum amissione multabuntur, etiamsi coram Nobis tantum, non autem coram Capitulo professionem ipsam explicaverint, et quoque sub poenis in S. C. T. contentis, aliisque nostro reservatis arbitrio. Càeteris injunctum munus, donec huic decreto religiose paruerint, sit interdictum.

Forma professionis fidei

juxta Pii Papae II. Constitutionem.

Ego NN. firma fide credo, et profiteor omnia, et singula, quae continentur in Symbolo Fidei,

---

(1) *Sess. VI. VII. VIII.*

quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem, Factorem Coeli, et Terrae, visibilium omnium, et invisibilium; et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum; et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum non factum consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de Coelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est; et resurrexit tertia die secundum Scripturas; et ascendit in Coelum, sedet ad dexteram Patris; et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cujus Regni non erit finis; et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre, et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui loquutus est per Prophetas; et unam, Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam; confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum, et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen. Apostolicas, et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiae observationes, et Constitutiones, firmissime admitto, et amplector. Item Sacram Scripturam, juxta eum sensum, quem tenuit, et tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere, et proprie Sacramenta novae Legis a Jesu Christo Domino Nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Con-

firmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium, illaque gratiam conferre: et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, et admitto. Omnia, et singula, quae de peccato Originali, et de Justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, et declarata fuerunt, amplector, et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, et propitiatorium Sacrificium pro vivis, et defunctis; atque in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere realiter, et substantialiter Corpus, et Sanguinem, una cum Anima, et Divinitate Domini Nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, Animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari; similiter, et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos, atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmissime assero Imagines Christi, ac Deiparae semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, et retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem, et Magistram agnosco, Ro-

manòque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis Successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro. Caetera item omnia a sacris Canonibus, et Oecumenicis Conciliis, ac praecipue a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata indubitanter recipio, atque profiteor, simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas, et rejectas, et anathematizatas, ego pariter damno, et rejicio, et anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram, et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime (Deo adjuvante) retinere, et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit teneri, doceri, et praedicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, per haec sancta Dei Evangelia.

3. Non sunt ferendi, qui falsis dogmatibus Christi ovile corrumpere ausu temerario student. Nos igitur, ut debita occurramus provisione, omnibus et singulis tum Ecclesiasticis, tum Laicis praecipimus, et sub latae sententiae excommunicationis poena mandamus, ut si quem noverint erga fidem falsis decipi opinionibus, aut verba in eam blasphema, posthabita correctione, proferre, Nobis absque mora denuncient, ut eorum pravitati, prout muneris Nostri est, providere valeamus (1).

---

(1) *Ita ex Constitutionibus Gregorii IX., Innocentii IV., Nicolai IV., et Gregorii XV., et ad mentem Bullae Leonis XII. ex* 13 *Martii* 1825 *cum Regio placito ex* 29 *Aprilis* 1826.

4. Quoniam non omnes Doctores, ut ait Apostolus, non omnibus publice disceptare de Fidei veritatibus licet, sed iis tantum, qui Litterarum Sacrarum cognitione pollent: mandamus, ut nemo, nisi qui in Sacra Theologia, vel Pontificio Jure Doctoralem Lauream sit consecutus, vel saltem Licentiatus sub poenis in jure contentis, de iisdem tractare praesumat. Ut autem Nobis innotescat, omnibus Parochis injungimus, ut diligenter curent Nos facere certiores, si quicumque sit, hoc audeat; aut si impie, et minus religiose, quam Christianum decet, vitam ducat; si in Diebus Dominicis, vel Festis Ecclesiam adire contempserit, si jejunia observanda parvifaciat, si statuto tempore non fuerit confessus, et Sacra Synaxi refectus; si quis in majori excommunicatione tabescat, aliave censura, si diebus Veneris, et Sabato, aliisque ab Ecclesia esu carnis interdictis se non abstineat, nisi de utriusque Medici licentia id fiat: denique si quis inveterata consuetudine in Deum, B. Virginem, et Sanctos haereticales proferat blasphemias, ex quibus facile dignosci potest, si inter Christi oves, aut inter lupos sit habendus.

5. Dicente Apostolo (1), *quod erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, et ad fabulas convertentur*, suspectorum librorum lectio omnino est vitanda, ne puritati Fidei, et morum sanctitati tenebrae effundantur, vel detrimentum inducatur. Mandamus igitur, ut nemo cujuscumque gradus sit, sexus, conditionis, dignitatis, haereticorum libros, vel haereses tam principaliter, quam incidenter continentes, vel a Romano Pon-

---

(1) 2. *Timoth. c. IV. v.* 3 4.

tifice damnatos, vel suspectos, vel prohibitos legere, vel retinere audeat, sub poenis in Bulla Pii Papae IV. fel. recor. et in corpore juris inflictis, immo duos inter menses Nobis, vel Nostro Vicario Generali tradere praecipimus, iterumque mandamus, sub poenis Nostro arbitrio infligendis.

CAPUT II.

DE VERBI DEI PRÆDICATIONE.

1. QUONIAM *Fides ex auditu*, ait Apostolus, *et auditus per Verbum Christi*, necesse est bonum semen in agro patrisfamilias sine intermissione seminare. Per Verbum Dei Fides nostra in toto orbe terrarum effulsit, et Christi Ecclesia, quae Ejus Sanguine fundata est, dilatata existit. Quid erit, si qui vineam Domini excolere tenentur, perinde in foro stent, ac non conducti tota die maneant otiosi? Quomodo enim fideles audient sine praedicante? Quomodo praedicabunt, nisi mittantur? Episcopis ergo, qui in Ecclesia pro Patribus nati sunt filii, intonuit Isaias, ut clament, nec cessent, et annuntient populo Dei scelera eorum; et Christus ipse mittens Apostolos ad regendam Ecclesiam praecepit, ut irent, et docerent omnes gentes; quod et successoribus eorum impositum fuit ad Apostolicum munus usque ad mundi finem prosequendum. Quidquid autem Illis injunctum fuit, Nobis impositum fatemur.

2. Quamvis Nobis oves ab alto commissae sint, possibile non est, ut ubique locorum Vox Nostra perveniat. In partem Nostrae sollicitudinis, instar discipulorum Domini, Parochi sunt assumpti; ipsorum esse debet Verbum Dei etiam praedicare, instare opportune, importune, arguere, obsecrare,

increpare, cum omni patientia, et doctrina. Ipsis ergo hujusmodi debitum, quo nullo modo possunt excusari, in Domino injungimus juxta Sacros Canones, et S. C. T. Constitutiones, ut omnino singulis diebus Dominicis, aliisque festis, per se, vel si legitime fuerint impediti, per alios idoneos inter Missarum solemnia, pro ovium captu Sanctum Dei Evangelium exponant, et salutaria ab iis excerpta, pro animarum salute documenta tradant. Parochi vero, quos zelus Domini comedit, etiam in Missa aurorae, et post Vesperas Populum Catechismo instruere studeant, sive per se sive per alium; si enim multa sunt media ad salutem, unum, et efficax, quo Coeli firmati sunt, Religio propagata, et Ecclesia in terris aedificata, est Verbum Dei. Inexcusabiles igitur sunt, qui animarum cura gravantur, hujusmodi onus fastidire quocumque pretextu, etiam quia populus ad rura colenda festinet, aut quia, prurientibus auribus, auditum a voce Pastoris avertat; decernimus, quod si quis ex Parochis per tres festos dies, nisi legitime impeditus, quod Nobis constare debet, aut Nobis inconsultis, a Paroecia abfuerit, per dies decem spiritualia peragat exercitia.

3. Cum autem magni momenti sit, non tam Verbum Dei Christiano populo annuntiari; quam digne, competenter, et fructuose praedicandi munus exerceri; nulli unquam, exceptis Parochis, ne Regularibus quidem, in propriis Ecclesiis, liceat inscio Episcopo praedicare. Mandamus igitur, ut nemo audeat praedicationis munus aggredi, nisi praevio examine, aut aliis rationibus probatus, licentiam in Domino et Benedictionem a Nobis obtinuerit, et praecipue acceptabili tempore Quadragesimae, et in Sacri Adventus Dominicis Concionatores deligantur, et Nos adeant, ut mis-

sionem accipiant cum Facultatibus necessariis ad Poenitentiae Sacramentum administrandum; numquam enim talis Facultas praedicationi adnexa intelligitur, nisi expresse concedatur, et absque Nostris Litteris Patentalibus a Parochis non recipiantur. Volumus deinde, ut Concionatores sint in doctrina instructi, et non verbis inanibus, sed Sacrae Scripturae, et Patrum testimoniis Christum Crucifixum fidelibus praedicare conentur; sint sani in fide, in moribus integri, ne Ministerium Nostrum vituperetur; vita eorum sit sancta, et memorentur, ut sibi dictum a Domino, quod peccatori dixit (1): » *quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Si videbas furem currebas cum eo, et cum adulteris ponebas portionem tuam: os tuum abundavit malitia, et lingua tua concinnabat dolos* » Videant, ne ulli dent offensionem, sed omnibus praebeant se exemplum, ut eos, qui Christo, Evangelio, et Virtutibus Sanctis ex adverso sunt, redarguant, et verbo, vita, et orationibus ad meliorem frugem perducant. Ipsos ergo per misericordiam Dei nostri rogamus, et monitos facimus, ut animarum, ad quas mittuntur, saluti consulentes, forma facti gregis ex animo, non peregrinam, sed Sanctorum scientiam, verbum sanum et irreprehensibile, et dictionem faciliorem, auribus omnium accomodent.

Gaudeant, si fideliter verbum Dei administraverint, quia partem habebunt cum Apostolis, et fructus eorum in aeternum manebit, sin autem timeant, et paveant, ne ovium sanguis de eorum manibus quaeratur.

---

(1) *Psalm.* 49 *v.* 17 19 20.

CAPUT III.
DE DOCTRINA CHRISTIANA.

1. Quamvis parentibus prolem suam in correptione, et disciplina Domini diligentissime erudire incumbat; Parochi tamen non cessabunt ipsos monere, ut moris fuit Divi Chrysostomi in omnibus suis concionibus meminisse parentibus, nam non latebat eum Ecclesiastici monitum » *filii tibi sunt, curva illos, et curva a pueritia eorum; adolescens enim juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea* ». Non enim sine animi Nostri moerore ignorantiam, et socordiam eorum experti sumus, tantum munus facile post terga vertendo, ita ut filii ne quidem in iis, quae ad salutem pertinent, instructi sint. Item deploravimus non paucos servos a Dominis oblivioni datos, parum, nihil immo eos curare, ut Doctrinam Christianam, Fideique nostrae rudimenta addiscant. Quare S. C. T. Constitutionibus cautum legimus, ut Parochi pueros, ac puellas in divinis instruant, ut in timore erudiant, parentum negligentiam supplendo. Quod si Pastores negligant, *pietatis, ac Religionis paratur*, Augustinus ait, *exterminium*. Volumus proinde, ut Parochi in Dominicis, et festis diebus, Quadragesimae vero tempore, et etiam Sacri Adventus, uti variis nostris Edictis in S. Visitatione datis, pluries exortati sumus, quotidie, post sonum campanae cum Clericis (aliquo eorum Crucem praeferente) pias Cantiunculas, aut B. Virginis Litanias modulando, Paroeciam circumeant; secum non modo pueros, et puellas, sed adultos etiam utriusque sexus, necnon conjugatos levi exhortatione compellant, et ad Ecclesiam ducant, in varias classes distribuant, et ea, quae

necessaria sunt, doceant; ita tamen ut perfecte juxta eorum captum intelligant, exemplis, et comparationibus omnia explanando. Clerici Parochum adjuvabunt, tum Paroeciam circumeundo, ut innuimus, tum congregando, tum segregando, tum docendo. Ubi autem quispiam hujusmodi adjutorium negaverit, frustra Ordines petet: nec Parochi adjutorii sibi praestiti testimonium, quod inter requisita ad Ordines adnecti praecipimus, pro iis ferre audeant; aliter agendo, sciant, se Domini indignationem incurrere, et poenas suae negligentiae luere.

2. Quoniam magnam in Parentibus experti sumus incuriam, tum filios non docendo, tum eos ad docentes mittere non curando; neque incumbunt, ut filii Sacramenta Poenitentiae, et Eucharistiae sumant, temporibus saltem praescriptis, curabit Parochus, praesertim Paschate, ut ipsi Parentes tamdiu ab Agni Coena procul sint, donec pueros, et puellas, aut instruant, aut instrui curent. Parochus ipse examen instituat in rebus necessariis necessitate medii, aut praecepti, ut qui instructi inveniantur, ad Poenitentiae, aut Eucharistiae Sacramentum pro eorum aetate, et captu admittantur. Curabunt diligentiori modo, ut pueri, et puellae ad ea suscipienda reverentius, et frequentius accedant, eorum dignitatem juxta captum suum patefaciendo, necnon peccati malitiam, et signanter blasphemiae in Deum, Deiparam, Sanctosque, et in animam, atrocitatem exagerando; et etiam ab increpationibus, verbisque obscoenis eos avertendo. Haec omnia ad praecipuum Parochorum munus pertinent, et si in eo oscitantes sint, Deum habebunt ultorem, ac ejecturi erunt, ne ultra pascant Gregem, immo cum hypocritis portionem habebunt.

3. Necessarium etiam ducimus, ut in pueris, et puellis instruendis curent Parochi, ut crimen dignoscant eorum, qui falsum dicunt testimonium, qui student superstitionibus, sortilegiis, maleficiis, vanisque observantiis, in concionando invehi, ut Sacrilegi, et praestigiatores demum a tanto errore desistant, nec amplius animam perdant cum maximo salutis, familiarumque detrimento, ac tam immane scelus, ut e medio tollatur, Nobis reservatum omnes sciant.

CAPUT IV.

DE SACRAE SCRIPTURAE LECTIONE.

1. Supremo Dei consilio ductum Sacrosanctum Concilium Tridentinum statuit, ut in omnibus Cathedralibus, et Collegiatis Insignibus Sacrae Scripturae, quae est Verbum Dei, et fidei norma, lectio non desit; proindeque alicui Canonico deputetur, qui ejusdem Textus ad Audientium fidem, et caritatem augendam explanet. Ut autem suum sortiatur effectum, eadem Constitutione decrevit, ut non solum Populus, sed etiam Clerus eum audire teneatur, ut nedum historias, parabolas, et monita intelligat, sed et sensum literalem, tropologicum, et moralem, ae omnes uno corde, et ore Dei mirabilia enarrent. Tali lectione Eunuchus Reginae Candacis meruit, ut bene advertit Chrysostomus, obscura, quae legebat, intelligere, ejusque fidem Dominus respiciens, Philippo ut se currui adjungeret, mandavit, qui de Redemptoris morte Isaiae prophetiam intelligendam esse enucleavit.

2. Canonicus Theologus igitur, alternis saltem diebus Dominicis, ob Praebendae parvitatem, post

Vesperas Chorali habitu ornatus, Suggestum conscendens, secum sacrum Codicem deferat, Textum, qui a Nobis, vel a Nostris successoribus fuerit designatus, stans capite detecto legat, eumque uti notavimus, explanet, atque omnia, quae ad Textum pertinent, Sanctorum Conciliorum Decreta, et Sanctorum Patrum Sententias pandat, ac resolvat.

3. Exhortamur autem, ut omnes de Capitulo, et Clero, tam Saeculari, quam Regulari, si in eorum Coenobiis haec lectio non habeatur, lectioni a Canonico Theologo exequendae praesto sint. Mensibus vero Julii, Augusti, et Octobris licebit feriari. Extra tempus feriarum, si munus suum neglexerit, pro rata non faciat suos fructus portionis, quae uti Praebenda,. ipsi conceditur. In diebus, in quibus lectionem exequitur, et Choro non interest, uti praesens habeatur. Tandem ut Canonico digniori tam praeclarum munus tribuatur, Concursus juxta S. C. T. (1) et Constitutionem Benedictinam instituatur, ac meritis aequa lance perpensis, moribus, ac doctrina commendabilior eligatur.

CAPUT V.

DE SACROSANCTIS ECCLESIIS.

Templa, quae Domus Dei sunt, Domus Orationis, et Portae Coeli, cum in Altissimi, ac Sanctorum ejus venerationem, et cultum sint fundata, religioso, ac sublimi decore omnino debent effulgere. Et quemadmodum in veteri lege Tabernaculum a Moyse cum mensa, Altari, et sacra

(1) *Sess. V. Decret. de Reformat. Cap. 1.*

supellectili aedificatum legimus (1): et augustius a Salomone cum Altaribus, aliisque ad divinum cultum necessariis ingenti sumptu, et mirabili opere, Deo jubente, perfectum audivimus (2): ita nos decet Ecclesias Deo dicare, et Altaribus, Vasis, Vestibus, aliisque ad divinum cultum pertinentibus ornare, et sacrare, praesertim quia in nostris Templis structura, divitiisque inferioribus, longe tamen augustioribus, divina peraguntur mysteria, et corporaliter est praesens Christus Rex Regum, et Dominus Dominantium, et ipse Deus cum hominibus habitans, qui de excelso solio gloriae suae supplicantium preces exaudit, nihil inordinatum, nihil indignum, et indecorum, quod reverentiam, ac debitum honorem offendat, in eis committatur. Dominus enim sanctitatem Templi sui, licet Mansuetudinis exemplar, facto de funiculis flagello vindicavit, mensas nummulariorum evertit, et vendentes ejecit. Quae omnia ut recte fiant, quantum nostra Episcopalis cura patitur, summatim statuimus.

1. Nulla Ecclesia tam Parochialis, quam simplex, nullum Oratorium, vel Sacellum, quod Capellam dicunt, nec Confraternitates, Loca pia, vel Monasteria Regularium cujuscumque Ordinis, vel Instituti (3), aedificetur, nullumque Altare de novo erigatur, aut erectum destruatur, nisi facultatem scripto concesserimus; et alia, quae in novissimo Pacto-Convento statuta sunt, exacte serventur. Nec fabricae, nec picturae, si quae sint, sine Nostro consilio, et auctoritate innoventur: Ecclesiae vero, quamvis majori ex parte nostra

---

(1) *Exod. c.* 31.
(2) 3. *Reg. C. VII.*
(3) *Conc. Trid. Sess.* 25 *cap.* 3.

cura, et vigilantia, quo potuimus, in meliorem formam sint redactae; tamen si quae sint ruinam minantes, sive vetustate collabentes, cito reparentur. Ecclesiae veteres, et Capellae in toto, vel in parte dirutae, si ex proventibus, et eleemosynis reparari nequeant, profanis, sordidisque usibus non destinentur, sed lapidibus sepiantur; immo ad praescriptum laudati Concilii, Crux erigatur in signum loci Sacri (1).

2. Nullae sint in quavis Ecclesiae parte fenestrae, vel minimae, e quibus extrinsecus introspici possit, ac si quae pateant usui alicujus, etiam Ecclesiastici, muro obstruantur. Fenestrae omnes vitro, vel saltem tela cera illinita praecludantur. Ecclesiae in superiori parte tecta sarta habeantur, ne imbres intromittantur. Externi muri ab hederis, vepribus, virgultis omnibus expurgentur: intrinsecus vero tam in corpore, quam in Capellis sint lacunaria lignea bene compacta, et elaborata, vel depicta, nisi Ecclesia ipsa concameratas fornices habeat. Omnia sint ita disposita, et perpolita, ut meminerimus, Dominum elegisse eam in habitationem sibi (2).

3. Portae cujuscumque Ecclesiae sint firmae, et stabiles, bene claudantur, et tectis seris, clavibusque sint munitae.

4. Octavo die, et frequentius in Festis pavimentum emundetur a sordibus, et saltem semel in mense Altaria, et muri a telis aranearum, fuliginibus, et pulvere mundentur; et si in his Sacrista, vel alius Minister deputatus negligens fuerit, pro qualibet vice, ad nostrum arbitrium multetur.

5. Ubi opus fuerit, muri, et fornices dealben-

---

(1) *Ses.* 21 *cap.* 7 *de Reform.*
(2) *Ps.* 131 *v.* 13.

tur , et si decrustati fuerint , reficiantur , aliter Parochi negligentes punientur.

6. Sepulturae subtus Altaria non sint ; et bene clausae lapideis operimentis cum calce, vel aptiori coemento ad compellendum foetorem semper existant.

7. In Ecclesiis , sicut in omnibus aliis locis Deo dicatis , nihil profanum , vel sordidum retineatur , veluti ligna , calces , coementa, arenae, tegulae , nisi sint in ejusdem Ecclesiae actualem, vel proximam reparationem , vel aedificationem praeparata, et praecipue ne frumenta, aliaque victui necessaria in iis congerantur, et asserventur.

8. Omnis Ecclesia habeat Sacrarium , itemque Fontem Aquae benedictae a parte dextera Ædis , non longe ab ipso ingressu positum ; et Lustralis Aqua semel in hebdomoda benedicatur , ac vetus in Sacrarium , vel per Ecclesiam proicjiatur.

9. Ecclesias aperire ante auroram, vel post solis occasum apertas habere non liceat ; peractis Sacris claudantur. Solummodo Cathedralis, et Ecclesiae Parochiales die pateant . Nocte numquam aperiantur , nisi pro necessaria administratione Sacramentorum , et tunc in egressu claudantur, vel Sacrista , aut alius Clericus custos remaneat.

10. Altaria praeter Iconem, et Crucem, decentibus candelabris, tabellis , pulvinaribus, tribusque mappis albis sint ornata. Desuper illa, dum Missa celebratur , biretum , pelvis , et ampullae vitreae non ponantur. Circa Aram maximam Praesbyterium defendatur marmoreis , ferreis , vel saltem ligneis cancellis.

11. In quavis Ecclesia , praesertim dum divina celebrantur Officia, vel SS. Sacramentum adoratur expositum , vel Concio habetur , juxta Decretum Alexandri VIII. prohibemus indecore ambulare ;

immoderate confabulari, maxime cum mulieribus, negotiari, aliaque committere, quae domum orationis dedecent, et a Concilio Tridentino (1) sunt prohibita.

12. In Sacristia, et Choro, quando Divina celebrantur Officia, Laici non morentur, et in Sedibus ad Confessiones audiendas destinatis non sedeant.

13. In omni Collegiata, et Parochiali Ecclesia adsit Armarium bene elaboratum, et in Sacristia servandum cum capsis ductilibus ad longitudinem Casularum, seu Planetarum quinque colorum, quibus Ecclesia utitur, et ubi conserventur omnia paramenta, praesertim Dalmaticae, et Pluvialia consimilia bene disposita, et integra. In parte superiori sint loculi pro conservandis Calicibus, Missalibus, caeterisque Vasis sacris. In parte inferiori vero alia Paramenta, et Utensilia ad Divina Officia, vel ad celebrationem necessaria asserventur. Et Armarium praedictum seras habeat cum clavibus bene aptatis. Sit Altariolum in loco separato extructum cum Crucifixo, vel alia quavis pia Imagine, in quo Sacerdos rem sacram facturus ab omni strepitu remotus, aliquandiu valeat meditare; vel saltem sit Genuflexorium cum Cartulis orationum praeparationis ante Missam, et gratiarum actionis post illam.

14. Vasculum argenteum, vel aeneum pro aspersione aquae benedictae non desit. Nec quoque deficiat lavacrum lapideum muro affixum pro abluendis manibus, et prope pendeant mantilia munda pro abstergendis: nec pelvis pro abluendis Purificatoriis et Corporalibus, quae laventur a constitutis in Sacris, et loturae projiciantur in Sacrarium.

---

(1) *Sess. 22 cap. de obser. et evit. in celeb. Mis.*

15. Sint parva tintinnabula pulsanda in elevatione Sacramenti, necnon crepitacula pro pulsandis tenebris in Hebdomoda Majori, et pro dandis signis ad officia eodem tempore celebranda.

16. Item sint opercula pro extinguendis candelis, et intorticiis, sicut et virgae cum parvis candelis, vulgari voce *Cerini*, pro illis accendendis.

17. In Sacristia fenestrae sint lucidae, crate ferrea, et vitris occlusae; Laici in ea non versentur; colloquia, rixae, tumultus, aliaque indecentia penitus eliminentur.

18. In eadem Sacristia sit Archivium, sive Arca firma cum duabus clavibus, quarum una sit penes Parochum, et altera penes Ecclesiae Cancellarium quovis anno a Clero eligendum die 31 Mensis Decembris ad praescriptum generalium Statutorum in Collectione actorum Pacti-Conventi Anni 1818. In ea asserventur scripturae omnes ad eandem Ecclesiam pertinentes.

19. In ejusdem Sacristiae muris fixae permaneant duae Tabellae. In prima sint adscripta onera Missarum, et Anniversariorum cum assignatione dierum, Altarium, et pro quibus celebrari debent, ita ut quoties Missae, quae certa in Ecclesia, certo Altari, certove die rite sint celebrandae, et juxta benefactorum voluntatem non adimplentur, pro non satisfactis habeantur. In secunda sit catalogus Presbyterorum, Clericorum, et Novitiorum, et in quo nemo describatur sine Nostra expressa licentia sub arbitrariis poenis. Habeatur etiam liber, in quo Missae unoquoque die celebrandae sint adnotatae, ac quisque Sacerdos propria manu diem satisfactionis signet, ut tempore S. Visitationis praesentetur, ac probetur.

20. In nullis Ecclesiis, vel Capellis publice

exponatur Ss. Eucharistia, exceptis diebus, qui sunt de ritu, aut inveterata consuetudine, nisi expressa Nostra; vel Nostri Vicarii Generalis licentia praecesserit, neque ex publica causa, nisi a Nobis approbanda. Quod pariter Regularibus est prohibitum ex Decreto S. Cong. Rituum (1).

21. Tam Parochi, quam Capellani, sive perpetui, sive adventitii, qui Missam celebrant in Capellis, in diebus Dominicis, et festis, vel post Evangelium, vel in fine doceant populum occurrentia Festa de praecepto, ad quae ex obligatione, vel ex consuetudine tenentur.

22. Ad rixas, clamores, injurias vitandas mandamus, ne ullus etiam in Dignitate constitutus alios Presbyteros, vel Clericos, sive in Sacris, sive in Minoribus Ordinibus promotos, vel prima Tonsura initiatos, in Sacristia, in Ecclesia, vel quovis alio loco verbis, vel facto injurioso audeat affligere sub poenis Nostro arbitrio infligendis.

23. Campanae, praesertim si sint benedictae, ad nullos profanos usus adhibeantur, sed solummodo ad populum, et Clerum convocandum pro sacris peragendis, et pro Divini Officii recitatione, et pro aliis usibus in Episcoporum Coerimoniali expressis. Hinc turris Campanaria sit clausa, cujus claves solummodo a personis Ecclesiasticis detineantur, ne Laici ad importunas pulsationes accurrant. Congruis tamen horis pro Deipara salutanda pulsentur in Aurora, Meridie, et post Solis occasum ad Indulgentias lucrandas juxta Breve Benedicti Papae XIII. Et etiam pro Defunctis circa primam noctis horam: item hora vigesima pri-

---

(1) *De die 17 Aug. 1630 in Neapolit.*

ma cujusque diei trigintatribus ictibus in memoriam Dominicae Passionis. In Sabato Sancto nemo, etiam Exemptus, et Regularis, campanas pulsare praesumat, nisi in Civitate Cathedralis Ecclesia Nostra prius sonum emiserit. In aliis Dioecesis Ecclesiis, sive Saecularibus, sive Regularibus campanae non pulsentur ante Ecclesiam majorem, h. e. Parochialem sub arbitrariis poenis. Pro agonizantibus, per fidelium orationes juvandis ad bene moriendum, et pro mulieribus parturientibus pulsentur. Denique unum Horarium, tam in Cathedrali, quam in aliis Ecclesiis Nostrae Dioecesis ut uniformitas sit, pro Matutino, et Vesperis, observari mandamus; ac etiam in Civitatis Ecclesiis observetur.

24. Turpe, et indignum est in nostris Ecclesiis, ut propriis perspeximus oculis, nullam fere reverentiam servari, et praecipue ob numerum puerorum, et puellarum sine disciplina per eas discurrentium, et quasi in vicis, et plateis morantium, ita ut non Ecclesiam Dei, sed latronum speluncam esse deploravimus. Pluries zelo domus Dei armati clamavimus, arguimus, institimus, et indignationem Dei, et Nostram permagno spiritus moerore minari debuimus. Omnes quotquot in sortem Domini sunt vocati, si curassent, et admonere non neglexissent, timorem, et amorem in eis erga Deum excitassent; in Sacrosanctis Ecclesiis quidem ad Dei Majestatem adorandam, precesque fundendas, atque ita omnes Christifideles essent in Ecclesiis, sicut Angeli in Coelo, ad divinam misericordiam impetrandam, et iram furoris sui avertendam. Scriptum est enim (1): *elegi*,

(1) 2 *Paralip. C. VII.*

et sanctificavi locum istum, ubi qui invocaverint nomen meum, deprecati me fuerint, exquisierint faciem meam, et poenitentiam, egerint a viis suis pessimis, exaudiam de coelo, et propitius ero peccatis eorum, et terram eorum sanabo.

25. Mandamus denique Parochis, Sacristis, caeterisque sacrae supellectilis Custodibus, ut ejus munditiei, et reparationi studeant. Quaecumque ad Dei cultum pertinent, sub poena excommunicationis ferendae sententiae, profano usui, aut spectaculis etiam sacris, mutui titulo, dari vetamus. Volumus, atque hortamur ne alio transferantur, et de omnibus ab eo, cui Ecclesiarum cura demandata est, Inventarium infra duos menses solemniter conficiatur, illiusque transumptum, authenticum in Episcopali Archivio reponatur. Sacra Supellectili Pontificis ornamento reservata, nullus eo inferior, ut Sacrorum Rituum Scriptores docent, unquam utatur. Sacra supellectilia a Nobis, vel ab iis, qui in Dignitate constituti facultate Nostra gaudent, benedicenda praescribimus. In omnibus Ecclesiis praesto sint pro externis Sacerdotibus a Nostra Curia bene cognitis, Paramenta ad Sacrosanctum Missae Sacrificium conficiendum, cum satis inconveniens sit, et indecorum, si Paramentorum commodum, et omnia alia necessaria Sacerdotibus alienae Dioecesis desint, ut eam ob causam celebrari nequeant.

CAPUT VI.

DE DIVINIS OFFICIIS.

Quemadmodum in triumphanti Ecclesia superna Beatorum Sede ante conspectum Dei, et Agni divinae laudes a Spiritibus Coelestibus continuo decantantur; ita in hac Militanti viatorum Patria Hymni, et Psalmi noctu, et diu a Ministris Deo dicatis per diversa intervalla persolvuntur. Quae consuetudo non nova est, et nuper inventa, sed in Ecclesia Dei semper custodita: « *media nocte surgebam ad confitendum tibi ... septies in die laudem dixi* . . . Coronati Prophetae verba sunt ista (1). Non dissimili modo legimus in novo Testamento Apostolos fuisse unanimiter perseverantes in oratione, et in Templum ad horam nonam ascendisse (2): hinc ab ipsis Apostolis est repetenda, et ad nos perpetua traditione delata consuetudo celebrandi Matutinas et Vespertinas preces. Modus vero pro temporum varietate a Summo Pontifice Gelasio I. usque ad Urbanum VIII., plene recognitus, et auctoritate probatus in Horarum recitatione adamussim servari debet, ita ut a praescripta forma, et a Rubricis nullo modo recedere liceat. Qui solemnis orandi modus, inquam, psalmis, hymnis, aliisque precibus auctoritate Ecclesiae contextus, et per certas diei partes distributus, ut laudis Sacrificium indesinenter Deo offeratur, Divini Officii nomen sortitur, quia continet quidquid Christianus erga Deum pro collatis gratiis, et beneficiis agere oportet. *De pluribus vero vocibus una fiat, ut in*

---

(1) *Ps.* 118.
(2) *Act. C. III. v.* 1.

unum fidelium mentes, ait S. Athanasius, *conspirent*: Deum vero laudantes, et Psalmos canentes, daemones fugant, auxiliares Angelos advocant, et Almae Sionis Aemuli, Sedi Coelesti junguntur, ac jugi canore Deum Trinum, et Unicum praedicant. Voce ergo psallentes, mente nec domum, nec forum circumeant, diverse enim facientes *homines fallunt*, inquit Concilium Moguntinum, *ac Deum irrident.* «*Nihil prodest*, ait Augustinus, *strepitus labiorum*, *si mutum est cor:*» proindeque omnes, etiam extra Chorum, non perfunctorie, non deambulando, non scribendo, non intuendo, non decumbendo, sed reverenter, distincte, attente, ac devote divinum Officium, ut diei onus, Deo persolvant.

1. Omnes Sacerdotes, vel Clerici, qui Divinum Officium, persolvere tenentur, determinatis horis juxta Tabellam horariam, post tertium campanae signum in Sacristia congregati, Rocheto, et Cappa, aut Almutia ornati, si sint Canonici, et alii Superpelliceo, et suis Insignibus, si habeant, induti, ab ipsa devote egredientes coram Altari genuflexi paullum orent; dehinc ordinate, prout cujusque gradus postulaverit, ad Chorum accedant, et propriis Sedibus insedeant, nec dum Officia celebrantur, recedere audeant, nisi ex justa causa per Superiorem Chori cognoscendam. Dato per Hebdomadarium signo, singuli qua decet reverentia, gravitate, attentione, et devotione psallant, facta decenti pausa in medio versiculi, ubi est asteriscus; verba integre, et distincte proferant clara, intelligibili, et unisona voce: unus Chorus non incipiat versum, nisi alter compleverit suum: dum leguntur lectiones, singuli illas submissa voce percurrant,

vel auscultent, aliter non satisfacient. Ad versum *Gloria Patri* caput inclinent, et in Hymnis assurgant.

2. In Choro nihil indecorum, immodestum, aut Loco Sancto non dignum adsit, non colloquia, nugae, risus, divagationes, strepitus, tumultus admisceantur; sed serventur omnia quae servanda praecepit S. Pius V. (1). Delinquentes tanquam absentes puniantur.

3. Canonici optima pars Cleri, et Consiliarii Nostri meminerint verba Concilii Later. V. sub Leone X. (2) statuentis, quod si Choro addicti interfuerint quidem, sed non recitaverint, quamvis consuetudo, vel Statuta loci id indulgerent, solamque requirerent corporis praesentiam, tamen mortalis delicti declarantur rei, et fructus, et distributiones restituant.

4. Ut Divinum Officium, quo laudes, gratesque Omnipotenti Deo persolvuntur, non solum interiori, sed etiam exteriori, ac sensibili cultu recitetur, mandamus Canonicis, Hebdomodariis, omnibusque Ecclesiasticis ad hoc obligatis, ut quando in Choro conveniant ad Officium, vel ad Missas cantandas, rigide observent alibi dispositum, nempe Vestibus talari, et Chorali sint induti; nec alias, quae Clericali modestiae adversantur, adhibeant.

5. Quicumque ad Matutinas Horas ante finem primi Nocturni; ad Missam ante finem Epistolae; et ad Vesperas ante absolutionem secundi Psalmi non venerit, pro absente reputetur.

6. Qui servitio Chori addicti, praeter tempora

---

(1) *In Costit.* « *Cum primum*.
(2) *Sess.* 9.

jure concessa, ac praeter casus jure probatos, vel toto die, vel aliqua illius parte se subtrahant, sciant praeter culpam, defectionibus hisce propositam esse poenam, ut pro earum singulis, distributionum portio absenti subtrahatur, et iis, qui Choro actu intersunt, accrescat. Haec poena omnino est infligenda, quin locum habeant collusiones, remissiones, vel pacta, non obstantibus quibuscumque Statutis, et Consuetudinibus (1).

7. Ob hanc rationem quotannis tam in Cathedrali, quam in omnibus Ecclesiis Civitatis, et Matricibus Dioecesis secretis suffragiis eligantur Punctatores, quibus ad praescriptum S. C. T. (2) in Episcopali Curia, aut penes Nostrum Vicarium Foraneum, qui ad praelaudatam Curiam referat, jusjurandum de partibus suis fideliter, et accurate obeundis praestare mandamus; Librum punctorum diligenter, fideliterque custodiant, Episcopo, Capitulo, vel Clero exhibituri, quoties illum petierint; et Nota punctorum quaque Dominica die palam exponatur.

8. Punctator, sub poena suspensionis ferendae sententiae, puncta describat; quam poenam eum incurrere quoque volumus, qui Librum punctorum expungere, vel addere attentaverint; et eadem poena constringimus Punctatores, qui Clericos destinatos pro Hebdomodae servitio, deficientes, aut imperfecte servientes non punctaverint; et si abfuerint non legitime impediti, volumus puniri poena unius *tareni* pro qualibet vice applicanda in servitium Ecclesiae. Et ut majori observantia haec omnia fiant, mandamus sub poenis Nostro arbitrio, quod quolibet anno ante fructuum Ec-

---

(1) *Trid. Sess.* 24 *cap.* 12 *de Refor.*
(2) *Loc. cit.*

clesiae, et redituum divisionem ad Nos Liber punctorum afferatur, ut constet de transgressoribus; et ne in posterum desint, curemus. Punctator, sive a Nobis, sive ab unoquoque Clero electus, omnes a Choro absentes, vel assistentes cum irreverentia, vel confabulantes, vel non recitantes, vel a Choro sine licentia Praesidentis exeuntes, vel de una ad aliam partem Chori transeuntes, sine ulla distinctione punctet. Similiter eos, qui extiterint extra suum proprium Stallum, et sine Bireto (exceptis Inservientibus qui stantes erunt circa Agnosterium) aut sine Superpelliceo, et propriis Insignibus, aut sine Breviario, et sine debita Psalmodiae reverentia, sub poena quinque assium a Punctatoribus multari mandamus.

CAPUT VII.

DE SACRIS RITIBUS, ET CELEBRATIONE MISSARUM.

1. Pro divino, et admirabili Missae Sacrificio (excedente quotquot sub Veteri Testamento fuerunt oblationes, et holocausta), in quo Deus ipse immolatur, et sumitur, multa; et gravia Sacrosancta Tridentina Synodus sancivit (1). Ministerium hocce tam Sanctum sancte quoque est tractandum, et ideo Sacerdotes Sacrificantes maxi-

---

(1) *Sess.* 22 *c.* 1 *et seq.*

ma animi reverentia, cordis veneratione, summa conscientiae puritate, ac singulari devotione, et pietate omnino debent nitere, ut misericordiam a Deo consequantur, et gratiam inveniant in tempore opportuno. Unde Sacrificium hoc facturi, et tales non se agnoscentes, abstineant potius, ne cadant in terribiles poenas ab ipsomet Deo contra indigne sumentes comminatas. Scientes non posse esse participes mensae Domini eos, qui participatione mensae daemoniorum sunt polluti, juxta Apostolum (1). Cogitent ergo, se illum, quem in Coelis Seraphim, et Cherubim trementes adorant, de sinu Patris esse revocaturos, manibus contrectaturos, et in visceribus realiter recepturos ad propriam Sanctificationem, ac pro fidelium vivorum peccatis satisfaciendis, aliisque necessitatibus, necnon pro defunctis in Christo nondum plene purgatis. Hinc curent Sacerdotes, ut antequam tremenda mysteria aggrediantur, suam conscientiam diligenter excutiant, ut cordis habitaculum evacuetur vitiis, et virtutibus repleatur; si aliqua mortifera peccati labe se inquinatos senserint confessione *prius*, *orationibus*, *jejuniis*, *vel eleemosinis*, ait Divus Augustinus, *studeant mundare conscientiam suam, et sic Eucharistiam praesumant accipere.*

2. Nullus Sacerdos ad Altaris ministerium accedat, nisi prius Matutinum cum Laudibus persolverit: orationes, et Missam antea perlegat, ne in Sacra Actione ulla mora, vel haesitatio cum audientium scandalo contingat. Et quoniam non sine animi nostri moerore audivimus nonnullos Sacerdotes tam cursim, et raptim sacrosanctum i-

(1) 1 *Ad Cor. C.* 10.

stud Mysterium perficere , et saepe horae quadrantem non excedere , et sacras coeremonias vel libere omittere , vel indecore involvere; omnibus, et singulis in Domino commendamus , ut Rubricas , et coeremonias Missalis Romani teneant , et alte , quae voce alta , et submisse , quae voce submissa dicenda praescribuntur juxta institutionem S. Matris Ecclesiae ad unquem observent; et ea qua decet animi , corporisque compositione Sacrificium conficiant.

3. Ad mentem S. C. T. (1) importunas, atque illiberales eleemosynarum exactiones , aliaque hujusmodi , quae a Simoniaca labe , vel certe a turpi quaestu non longe absunt , pro Missis omnino prohibemus ; praeterea neminem lateat sequentium propositionum proscriptio : *Licere Sacerdoti , ex Missae adventitiae eleemosyna sibi aliquid reservare ; necnon posse Sacerdotem sacrificii partem sibi propriam alteri applicare ; aliudque pro ea stipendium exigere , et licere Missam anticipate applicare pro eo , qui deinceps oblaturus est eleemosynam.* Qui eas sequi sibi permittit , utpote Sacerdotali ministerio indignus , pro Nostro arbitrio ab Ordinis exercitio suspendetur.

4. Ex Decreto S. C. T. (2) nullatenus in Ecclesiis Nostrae jurisdictionis admittantur ad Missae celebrationem Sacerdotes peregrini , exteri , ignoti , et vagi sine Nostra , vel Nostri Vicarii Generalis expressa licentia , quoad Saeculares , nisi cognitis litteris dimissorialibus suorom Ordinariorum , dummodo incedant cum pileo presbyterali ,

---

(1) *Sess. 22 in Dec. de obser. et evit. in cel. Miss.*

(2) *Loco cit.*

Tonsura, et habitu decenti; quod Regulares vero, nisi praesentatis suorum Superiorum obedientiae litteris, sub poenis in Jure inflictis. Si Sacristae citra praefatam cautionem quid permiserint, rigide punientur.

5. In Sanctimonialium Ecclesiis nullus celebrare praesumat absque Nostra licentia sub poena suspensionis; et in approbatione Sacerdotum ad celebrationem haec conditio semper apposita censeatur. Similiter in Oratoriis, et Capellis domorum privatarum non possit celebrari, nisi sint fundata facultate Apostolica Regio exequatur munita; exceptis tamen festis solemnioribus Natalis domini, Epiphaniae, Paschatis, Pentecostis, Annunciationis, et Assumptionis B. M. V., SS. Petri, et Pauli, et omnium Sanctorum, ut ex Declar. S. Congreg. Rituum (1). Non prohibemus autem celebrari in Oratoriis, seu Capellis campestribus, vel ruri aedificatis; cum obbligatione tamen celebranti, ut post Evangelium, vel in fine Missae rudes doceat, saltem ea, quae scitu necessaria sunt necessitate medii ad salutem, non praetermissa brevi explicatione ejusdem Evangelii, ne Verbi Divini ulli desit unquam pabulum.

6. Quamvis in Sancta Ecclesiarum Visitatione in singulis annis opportune provideri curavimus decori, et munditiei tam necessariae in Sacris Vestibus, et Vasibus in Missae celebratione; tamen praesenti Decreto praecipimus, ut Vestes pro Sacrificii ministerio, nempe Casulae, Stolae, Manipuli, et Vela omnium colorum non sint lacera, attrita, corrosa, vel contaminata, sed integritatem, et honestatem in omnibus exhibeant: Amictus, Alba, Cingulum, Pallae, Corporalia, et

(1) *De die 17 Novembris 1607.*

Purificatoria sint linea, nitida, et saepe dealbata. Calices sint argentei; vel saltem cupae ex puro argento, et a parte interiori inauratae. Patenae sint intigrae, et deauratae; non luridae, neque obnubilatae.

7. In Parochialibus Ecclesiis, ubi plures Missae celebrantur, nullus Sacerdos in festis diebus ad Altare celebraturus accedat, nisi prope finem praecedentis, et successive ad majorem populi commoditatem. Hinc praesenti Decreto mandamus, Missas ita distribui a Parochis, vel ab aliis, ad quos spectat, ut ex intervallo a primo mane usque ad meridiem celebratio non desit, nisi necessitas, tempus, et populi moltitudo in majoribus Solemnitatibus aliud efflagitet.

8. Cum in Sancta Ecclesiarum, ac Dioecesis Visitatione audiverimus, oves proprio Pastori concreditas, Missam diebus Dominicis, et Festis audire in Capellis intra Parochiae limites, Dei Verbo, aliisque piis exercitiis, quae singulis illis diebus laudabiliter fiunt, omnino destitui, ac privari, praesenti Constitutione prohibemus sub poenis arbitrio Nostro infligendis, ut nullus Sacerdos in Capellis tam intra, quam extra Parochialem Ecclesiam, dum Instructioni, et Concioni populus interest, audeat celebrare.

CAPUT VIII.

DE PROCESSIONIBUS.

Ad imitationem populi Israelitici ante Arcam Domini solemniter proficiscentis Catholica Ecclesia a Spiritu Sancto edocta Processionum, seu Supplicationum usum retinuit, suisque Fidelibus re-

ligiose commendavit, et Nos dilectissimo Nostro Clero., sive Saeculari, sivo Regulari devote commendamus.

1. Ad Nos solummodo spectat Sacras Supplicationes, seu Processiones publicas indicere, ut ex Bened. XIV. (1). Quare praeter eas de Romanae Ecclesiae mandato, vel de peculiarium Ecclesiarum consuetudine, quam retineri omnino volumus, institutas, nullae aliae habeantur ob quamcumque Populi necessitatem nisi de Nostra, aut Nostri Vicarii Generalis licentia.

2. Volumus, et mandamus, omnes publicas, solemnesque Supplicationes, quae sunt de ritu generali, vel de mandato Sanctae Romanae Ecclesiae, aut a Nobis dispositas, proficisci a Cathedrali in hac Civitate, et a Parochialibus Ecclesiis in Civitatibus, et Terris Dioecesis, et sic reverti. Intersint omnes de Clero Saeculari, nempe Canonici Rocheto, Cappa, et Bireto ornati; Presbyteri, Diaconi, et Subdiaconi, et Clerici Superpelliceo, induti, suisque Insignibus si habeant, omnes item ex Regularibus cujuscumque sint Ordinis, nec non piarum Sodalitatum Confratres sacci vestem habentes. Attamen dignior locus detur antiquiori Confraternitati Regio Placito munitae, bini, et bini, et nullus solus, et si numero impares sint, postremi terni. *Solitarius enim*, S. Bernardus advertit, de iis agens, *actionem turbat*, *et mysticum*, *ac vetustum ritum ab Ecclesia praescriptum spernit*; eo magis quia Dominus binos ante faciem suam, quo erat ipse venturus, misit. Ab Altari, facta ei debita reverentia ordinate, et graviter procedant, ac certam inter se distantiam servent: quisque juxta locum suum cum modestia, et

---

(1) *Const. quemadmodum ec.*

magis magisque si Augustissimum Sacramentum deferatur ; ac ut , quo par est cultu , illud ante omnia bini utroque genuflexo , et capitis inclinatione adorent , dum in medio Altaris Sacerdos ipsum Sanctissimum utraque manu elevatum tenet. Omnes cum incedunt , alternatim psallant , et a mutuis colloquiis se abstineant , oculos huc , et illuc non conjiciant, non inania colloquia faciant, ordinem non perturbent , et id unum , ad quod Processio instituitur , corde agant . Viae , per quas transiturus est , comitatus , mundentur , et floribus , viridibusque frondibus , necnon parietes sericis , decoris , ac honestis paramentis adornentur . Omnes officinae ita sint clausae , ut nullus strepitus audiatur .

3. In apparatu funebri omnes pari modo compositi , et graves se gerant , psalmodiam adimpleant flebilem , ut memoriam mortis fidelibus innuant, et quisque recogitet corde vitae brevitatem, et ad aeternam se praeparet. Tam haec, quam superius dicta, sub arbitrariis poenis mandamus .

CAPUT IX.

DE DIERUM FESTORUM OBSERVANTIA .

In divina lege dierum Festorum sanctificatio gravissimum praeceptum est, cujus transgressio semper severe fuit vindicata . Tremendum extat exemplum in libro Numerorum (1) de homine ligna colligente die Sabati , et Dei oraculo ad mortem damnato « *moriatur homo iste ; obruat eum lapidibus omnis turba extra castra* » . Ecclesia

(1) *C. XV. v.* 35.

vero dies praescripsit, in quibus cultus peculiaris Deo dari debet: non in sola ab operibus servilibus abstinentia consistit sanctificatio, sed in spiritu, et veritate, in fide non ficta, et in corde puro. Optime, et perbelle Origines expressit quid sit Festa percolere. Ait enim » *si desinas ab omnibus operibus saecularibus, et nihil mundanum agas, sed operibus spiritualibus vaces, ad Ecclesiam convenias, lectionibus divinis aurem praebeas, de coelestibus cogites, de futura spe sollicitudinem geras, venturum judicium prae oculis habeas, ad praesentia, et visibilia non respicias, sed ad futura, et invisibilia* ». Ecquid aliud sibi vult, quod Deus praecepit » *Sabata sanctifices*? Mandavit diei Sabati requiem esse, Sanctum vocari, nullumque opus fieri. Ob inobservantiam populum suum peste, bello, fame, tempestatibus multavit omni tempore Deus: ut autem vere sanctificetur, haec edicimus.

1. Dies festi comuni Ecclesiae more incipiunt a noctis dimidio, et porriguntur ad dimidium alterius noctis, quae proxime sequitur. Hoc tempore prohibitum est quodcumque servile opus exercere. Si tamen vera necessitas postulet, vel pietatis ratio suadeat, ut aliquando regulae fiat exceptio, juxta sacros Canones indulgentiam faciemus. Non tamen his causis se urgeri quisque facile putet, nec omnino audeat operari, nisi Ecclesiae auctoritate facta sit venia.

2. Parochi ergo, Curati, Concionatores, et Confessarii omnes de Festorum observantia instruant fideles; et moneant juxta Decretum Tolet. III. (1) graviter peccare eos, qui audita tantummodo Missa, otio se dedentes totum diem absumunt in

---

(1) *Can*. 13.

ludis, aleis, choreis inhonestis, ebrietatibus, comessationibus, aliisque vanitatibus in maximam animarum suarum perniciem. Insuper eos ex animo moneant, ut diebus omnibus Deo consecratis spiritualibus vacent; Ecclesias religiosius adeant, pluribus intersint Missis; Sacramenta suscipiant; sacras Conciones audiant; doctrinam Christianam sive tradant, sive discant; actus fidei, spei, et caritatis, praesertim ante divinam Eucharistiam iterent; vesperis adsint; sacrum B. V. Rosarium alternis recitent; ac ferventius se in pietatis operibus exerceant. Pari modo cum S. Vincentio Ferrerio hortentur Dominicam diem, aliaque festa servantes moereri fructum camporum, vinearum, olivetorum, gregum, magis quam ex totius anni labore.

3. Cum ad nauseam usque hisce temporibus impietas excrevit; Parochi, et Vicarii Foranei, qui Festa violari vident, saecularis Potestatis opem implorent, in Concionibus continuo arguant, tanti sceleris reos absolvi non posse a Confessariis, nisi ex Nostra speciali facultate concessa, Nobis, ut infra cum de Poenitentiae Sacramento sermo erit, casum hunc reservantes.

CAPUT X.

DE SANCTORUM RELIQUIIS.

Mirabilem esse Deum in Sanctis suis quotidiana quae per ipsorum intercessionem obtinentur beneficia, comprobant, qui regnantes cum Christo in coelis orationes suas pro hominibus offerunt; Advocati Nostri, et Tutores sunt, nosque suae felicitatis consortes fieri procurant. Doceant ergo

Parochi contra Iconomachos h. e. imaginum impugnatores, praecipuum Catholicae Religionis specimen effulgere in cultu, ac veneratione Reliquiarum, et Imaginum Sanctorum, qui per fidem vicerunt regna, et adepti sunt repromissiones. Catholica enim doctrina, ab Apostolicis usque temporibus, prout Tridentina Synodus docet (1), haec est » *sanctorum Martyrum, et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi, et templum Spiritus Sancti ab ipso ad aeternam vitam suscitanda, et glorificanda, a fidelibus veneranda esse: per quae multa beneficia a Deo hominibus praestantur . . . Imagines Christi, Deiparae Virginis, et aliorum Sanctorum in Templis praesertim habendas, et retinendas, eisque debitum honorem, et venerationem impertiendam* ». Haec vero laudati Concilii doctrina proposita, ut debitus, purus, et saluberrimus cultus a populo Christiano sanctis Reliquiis, sacrisque Imaginibus exhibeatur, quae sequuntur ex Nostro munere praecipienda censemus.

1. Omnis superstitio in Sanctorum invocatione, Reliquiarum veneratione, et Imaginum sacro usu tollatur, omnis lascivia vitetur, ita ut procaci venustate Imagines non pingantur nec ornentur (2).

2. Ecclesiarum Ministri sive Saeculares, sive Regulares publicae venerationi nullatenus exponant novas Reliquias Sanctorum, nisi a Nobis sint recognitae, et approbatae (3). Antiquae habeantur ea veneratione, quà hactenus sunt habita; et quando exponuntur in Festis solemnioribus, vel

---

(1) *Sess.* 25 *de Invoc. et Vener. reliq. san.*
(2) *Ibidem.*
(3) *Trid. ibidem.*

Sanctorum, quorum sunt Reliquiae, panno serico apti coloris sint circumamictae, et cum quatuor cereis, seu candelis ardentibus, inquit S. Carolus (1): vel saltem duabus (2).

3. Nulla Reliquia honoranda ponatur in Altari, in quo expositum sit Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum (3): decet enim Dominum sedere supra Sanctos suos, nec unquam educantur e thecis earum, vel capsis. Qui illam ad Altare affert aut inde refert, sit omnino Ecclesiasticus Superpelliceo indutus, ac plerumque Sacerdos Stola humeris adjecta. Si Reliquia sit Insignis, veluti integrum Caput, vel Crus, vel Brachium in publicum afferenda est, ac suo tempore recondenda, cum aliqua ornamentorum, Ministrorum, cereorum, et Hymnorum pompa fiat (4).

4. Districte prohibemus, ne quis Reliquiarum, quae ad Ecclesiam pertinent, vel minimam partem a thecis extrahere, aut alteri donare audeat.

5. A Laicis cujusvis ordinis numquam tractentur, nec horum ope coronae admoveantur Reliquiis, ut eas tangant. Ita S. Carolus (5).

6. De uno ad alium locum non transferantur, nisi justa de causa, et Nostra facultate in scriptis data.

7. Parochi nunquam permittant Sacras Reliquias, quae ad Ecclesiam pertinent, asservari apud Laicos, vel in privatis aedibus (6). Bene vero in Oratoriis privatis de Nostra tamen expressa licentia.

---

(1) *Conc. Mediol. IV.*
(2) *S. R. C. An.* 1701.
(3) *Dec. Clem. XI.*
(4) *S. R. C. an.* 1628.
(5) *Loc. sup. cit.*
(6) *Conc: Trid: Sess:* 25 *de Ven: Reliq.*

CAPUT XI.

DE JEJUNIO.

1. Jejunii necessitas pro ingruentibus malis, atque ad evitandum Dei ultionem, et bona omnia impetranda in omnibus fere Sacrae Scripturae paginis, et praesertim per Joelem Prophetam Nobis inculcatur. Ipse namque Sacerdotes incitat ad planctum, et ejulationem, cunctis indicit sanctificare jejunium, quod tunc digne persolvitur, et mens ab iniquitate revocetur « *non enim in sola abstinentia cibi stat nostri summa jejunii*, ait S. Leo Papa, *sed cum fructuose corpori esca subtrahitur*. Et D. Gregorius ita concionabatur « *Illud jejunium approbat Deus*, *quod ad ejus oculos munus eleemosynarum levat*, *quod cum proximi dilectione agitur*, *quod cum pietate conditur* ». Jejunium ergo sanctificare est adjunctis aliis bonis operibus dignam Deo abstinentiam carnis ostendere. Cesset ira, sopiantur jurgia, incassum ergo caro atteritur, si a pravis voluptatibus animus non refraenetur, cum per Prophetam Dominus dicat: *in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra*.

2. A Parochis igitur, a Concionatoribus, et a Confessariis Fideles instruantur talibus doctrinis, et confirmentur exemplo. Constitutiones de jejunio satisfaciendo, quas Benedictus Papa XIV. Sanctae mem. evulgavit, omnibus ad amussim servandae proponantur, tum quoad abstinentiam a carne, ovis, et lacticiniis, tum quoad unicam comestionem, tum quoad horam; et ubi urgeat necessitas, consulere debent utrumque Medicum, spiritualem nempe, et corporalem, et cum Christiana humi-

litate licentiam petere. Omnibus innuatur, quod quibus caro indulgetur, nequaquam pisces insimul cum carne, ne in Dominicis quidem diebus, manducare licet. Item refectiunculam nullus sibi paret de carne, aut ovis, sed in rigorosa modicitate, et in cibis, quos timoratae conscientiae Fideles jejunantes adhibere solent, aliter facientes peccabunt.

3. Insuper Concionatores, et Confessarii jejunium Quadragesimale ab Apostolorum usque temporibus traditum, peculiari modo inculcent, uti salutare animabus corporibusque medendis institutum. Ab Elia, Moyse, et ipso Christo Domino nostro edocti, ac exemplo roborati non sine lethali peccato tale jejunium violare possumus, necnon Vigiliarum, et quatuor Temporum. « *Jejunium enim*, ait S. Hieronymus, *non solum perfecta virtus est, sed caeterarum virtutum fundamentum, atque sanctificatio pudicitiae, et prudentiae, sine qua nemo videbit Deum.*

4. Ne autem populus unquam ignoret dies, quibus jejunii praeceptum urget, jejunia, si qua sint, per hebdomoda peragenda, Parochi die Dominico publice, et voce clara significent, indicantque nominatim dies, quibus agenda erunt.

5. Interdicimus, ne in hospitiis diebus exurialibus dapes vetitae publice exponantur, ne fideles scandalum patiantur.

6. In Domino hortamur, et obsecramus fideles omnes, ne choreae, seu tripudia, seu ludi publici, seu scenicae actiones, seu alia hujusmodi profanae laetitiae spectacula in jejunii diebus celebrentur. Haec enim manifeste opponuntur moerori, et luctui, quem certo prae se ferunt dies, quibus Ecclesia voluntaria carnis afflictatione se subjcit Deo, quosque praecipua quadam ratione satisfactioni justitiae Dei pro peccatis exhibendae, iracundiae

ipsius mitigandae, per adjectas demisissimas preces addixit.

CAPUT XII.

DE COERIMONIARUM MAGISTRO.

Cum ea sit conditio humana, ut ex visibilibus ad invisibilia rapiatur, ex Apostolica traditione, et disciplina quidam ritus, et coerimoniae in Sacrosancto Missae Sacrificio, aliisque Religionis functionibus Sancta Mater Ecclesia instituit, ut per haec externa signa divinus cultus eluceat, et Fidelium mentes ad coelestia desideria erigat, et ad rerum Altissimarum meditationem elevet. Ut autem hujusmodi coerimoniae rite persolvantur, Magistri Coerimoniarum in Ecclesia sint deputati, qui eas perfecte calleant, easque ad Altissimi Dei gloriam, et laudem servari doceant.

1. Praecipimus ergo, ut in omnibus, et singulis hujusque Nostrae Dioecesis Ecclesiis sint Coerimoniarum Magistri a Nobis designati, qui munere suo prudenter, caute, et pro Personarum qualitate fungantur: pro rei opportunitate conficiant tabellam in qua singulis praescribatur, quid sit agendum, et in sacris functionibus diligenter incumbant, ut rite, et debito ordine fiant, et omnes sive de Capitulo, sive de Clero eis obedientiam praestare tenentur.

2. Saltem semel in mense praxis per illos instituatur alicujus sacrae actionis, quae ad officia pertineat, vel ad Missam, vel ad Processiones, vel ad Sacramentorum administrationem, vel ad solemnem Sacramenti expositionem, ut omnia recte, quando opus est, agantur.

Haec autem praesertim serventur in Nostra Cathedrali, ut qui in Seminario educantur Clerici, instruantur, et cum suos remigaverint ad lares, alios erudiant.

3. Omnes demum de Clero hortamur rememorantes illud Spiritus Sancti, quod sancta sancte tractanda sint, et cum divina peragent mysteria, ita se gerere debent, ut declinent maledictiones a Domino in eas jaculatas, qui opus Dei faciunt negligenter.



SESSIO II.

DIE 9 SEPTEMBRIS MDCCCXXXIV.

DE RECTA ADMINISTRATIONE, ET SUSCEPTIONE SACRAMENTORUM.

Sacramenta instituta sunt ad animarum salutem, et eorumdem susceptio quum sit omnis boni fons, et origo, de illis tum in genere, tum in specie breviter agamus, oportet.

CAPUT I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Christus, qui Ecclesiam fundavit, Sacramenta immediate instituit, ut virtutem suae Passionis, quam Illa continent, Nobis comunicaret; et hinc omnis Sacramentorum efficacia a Christi Domini meritis proficiscitur. Ex hoc intelligant Parochi, caeterique Sacramentorum Ministri, quanta animi puritate sint administranda, ne lethali culpa implicati, dum aliis spiritualem vitam praebent, aeternam mortem sibi certo consciscant. Hinc ante oculos habeant illud Matthaei (1). *Nolite mittere margaritas ante porcos*. Idcirco nisi maxima necessitas urgeat, quae moram non patiatur, et grave scandalum adsit, Minister, priusquam ministerium aggrediatur, Sacramentali se abluat Poenitentia, vel saltem Actum contritionis e-

(1) *Math.* C. 7 v. 6.

liciat, et quamprimum confiteatur. Et quoniam, uti Eugenius IV. exposuit (1): omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona Ministri conficientis Sacramentum; Parochi, sive alii de eorum licentia materiam, caeteraque ad Sacramentorum essentiam pertinentia adhibeant; nec fas sit quidpiam addere, quidpiam detrahere, quidpiam commutare de illis; formam vero Sacramenti cujuslibet, quo tempore adhibetur ejus materies, articulatim, atque distincte pronuntient; ac in ipsa administratione actualem intentionem habere studeant, aut saltem virtualem faciendi quod facit Ecclesia (2). Et ut omnia recte fiant, praecipimus.

1. Claves Tabernaculi Ss. Eucharistiae, Fontis Baptismalis, et Sacrorum Oleorum a Parochis caute custodiantur, ne quis ad maleficia, vel ad superstitionem rebus sacris impie utatur.

2. Nemo in aliena Parochia Sacramenta administrare audeat, nisi de Parochi proprii, et in ejus absentia, vel in casu necessitatis, sine Nostra, vel Nostri Vicarii Generalis licentia.

3. In Sacramentorum administratione Parochi, caeterique Sacerdotes habeant vestem talarem, sintque induti Superpelliceo, et Stola, ad praescriptum laudati Ritualis Romani, cui reverenter inhaeremus, et semper cum omni modestia et gravitate se gerant, sicut Dei Ministros decet; quod item in Sacramenti Poenitentiae administratione observari mandamus.

---

(1) *Concil. Floren. in Decr. Union.*

(2) *Rit: Rom: de Sacram: admin: Et Conc: Trid: Sess. 7. de Sacram. Can. XI.*

4. Omnes Sacerdotes sive diu, sive noctu ad Sacramenta ministranda vocati, nulla prorsus interposita mora (praesertim si necessitas urgeat), suum praestent ministerium (1), nulla habita incommodi ratione sub poenis Nostro arbitrio reservatis, et si quem absque Sacramentorum susceptione decedere ex hac vita permittant, sciant ante Æterni Judicis Tribunal gravissimi sceleris reos esse, et a Nobis severissimis poenis plectentur. Omnibus Parochis proponimus Conc. Trid. Doctrinam his verbis conceptam (2) « *Ut fidelis populus ad suscipienda Sacramenta majori cum reverentia, atque animi devotione accedat, praecepit S. Synodus Episcopis omnibus, ut non solum cum haec per se ipsos erunt populo administranda, prius illorum vim, et usum pro suscipientium captu explicent, sed etiam idem a singulis Parochis pie, prudenter, etiam lingua vernacula, si opus sit, et commode fieri poterit, servari studeant* ». Denique Sacramenta administraturi ad amussim addiscant ex Rubricis sacros ritus, et Coeremonias ad rectam illorum administrationem necessarias; non enim pro libito a Ministris omitti, vel variari possunt, quemadmodum sub anathematis poena prohibet praelaudatum Concilium (3).

(1) *Rit. Rom. de Sacram. adm. gener. servan.*
(2) *Sess. XXIV. c. 7 de Reform.*
(3) *Ses. VII. Can. 13.*

CAPUT II.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

1. BAPTISMUS est Sacramentum regenerationis per lavacrum aquae in verbo vitae. Jordanis, ac Probaticae Piscinae aquae fuerunt figura hujus Sacramenti; quia sicut illae mirabilem vim habuerunt post Angeli motum curandi corpus sive a lepra, sive a quacumque infirmitate, ita sacrum Baptismatis lavacrum, non Angelica manu, sed Divina virtute corpus abluens, animam a quovis peccato emundat.

2. Hujus Sacramenti effectus sunt I. *Remissio omnis peccati, sive originalis, sive actualis*, ut ex definitione Conc. Florentini (1), ubi de Baptismo dicitur « *hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpae originalis, et actualis* ». II. *Relaxatio omnis poenae* non solum aeternae, sed etiam temporalis, ut ex cit. Conc. in eod. Dec. « *Sacramenti* (Baptismi) *effectus est remissio. . . omnis quoque poenae* ». III. *Infusio gratiae*, per quam filii Dei nominamur, et sumus, dicente Apostolo (2) « *Omnes enim filii Dei estis per fidem, quae est in Christo Jesu. Quicumque enim in Christo Baptizati estis, Christum induistis* ». Haec autem gratia est habitualis, seu sanctificans (omnibus novae legis Sacramentis communis), permanenter manet in subjecto, illudque reddit Deo gratum, quousque per peccatum mortale illam non expellat a corde; et est Sacramentalis (cuique Sacramento propria) et necessaria, ad finem

(1) *In Decr. Union.*
(2) *Ad Gal. C.* 3 *vers.* 26.

Sacramenti consequendum. IV. *Infusio virtutum* gratiam habitualem comitantium, ut colligitur ex Apostolo (1): *nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria haec, major autem horum est Charitas*, necnon donorum Spiritus Sancti, ut ex Isaia (2) « *Requiescet super eum Spiritus Domini* » V. *Impressio characteris*, qui ex Trid. (3), est signum quoddam spirituale, et indelebile, impressum animae, eoque veluti tessera fidelis ab infideli discernitur; hinc iterari non potest; et hoc ubique, et constanter tenuit Ecclesia, adeo ut atroces poenas contra rebaptizantes indixerit.

3. De nominibus, quae Baptizandis imponi solent, statuimus, ne iis imponantur obscoena, fabulosa, ridicula, vel inanium deorum, vel impiorum Ethnicorum hominum (4), sed Sanctorum, Sanctarumque Dei, a quibus, et praesidium in Coelis, et exempla virtutum habeant in terris.

4. Baptismus nati infantis, ultra triduum non differatur sine rationabili causa, ob periculum, et differentes eum, acriter corripientur.

5. Curent Parochi juxta antiquissimam consuetudinem, cujus meminerunt prima Concilia, et Ss. Patres, ut in Baptismo solemni, non autem in privato, praeter baptizantem, et baptizandum, sit aliquis sub Patrini nomine, qui baptizatum e Sacro Fonte levet. Hujusmodi Ecclesiasticum praeceptum graviter obligat, et hinc si absque tali susceptione Baptismus solemniter celebraretur, validus esset quidem, sed illicitus; quia adhi-

**

---

(1) 1. *Ad Cor. c. XIII. v.* 13.
(2) *Cap. XI. v.* 2.
(3) *Sess. VII. Can.* 9.
(4) *Conc. Nicaen. can.* 30 *et Rit. Rom.*

bitio Patrini est una ex coeremoniis praecipue reputanda. Patet ex Trid. (1)« Parochus antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter sciscitetur quem, vel quos elegerint, et statuit » *ut unus tantum sive vir, sive mulier, juxta Sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus, et una Baptizatum de Sacro fonte suscipiant* ».

6. Officia Patrinorum sunt: I. Baptizandos Ecclesiae offerre. II. Pro illis promittere. III. Illorum loco respondere, si ii per se nequeant, Symbolum recitare, Fidem profiteri, et Satanae abrenuntiare. IV. Baptismi testes esse, et dubio occurrente, fidem facere. V. Debitum contrahere imbuendi Susceptum Fidei praeceptis et morum, si a parentibus, vel ab aliis non fiat; nam Patrinus idem sonat, ac Pater spiritualis.

7. Munere Patrini fungi non debent. I. Qui confirmationis Sacramentum nondum susceperint, quia ut recte inquit S. Antoninus« *debilis non est idoneus ad suscipiendum alium debilem, ne ambo simul cadant*». II. Ecclesiastica censura publice innodati. III. Notorie flagitiosi, et infames, vel excomunicati, aut interdicti. IV. Qui sana mente non sunt, et qui fidei rudimenta ignorant. V. Non minores annis quatuordecim; nam etsi non sit determinata aetas, ut quis valide sit Patrinus, tamen non omnes promiscue sunt admittendi, sed tantum qui vices paedagogi, et magistri in rebus Fidei implere valeant. VI. Clerici sine expressa Episcopi, vel ejus Vicarii licentia; congruum enim est divino cultui mancipatos arcere ab omni occasione, quae familiaritatem cum foeminis inducere possit. VII. Parentes, ne Matrimonii usus

---

(1) *Sess.* 24 *de Refor. Matrim. c.* 2.

inter eos interdicatur. VIII. Monachi, Moniales, aliique cujusvis Ordinis Regulares a saeculo segregati, ut ex Rit. Rom. colligitur.

8. Parochi post Baptismum tenentur. I. Monere Patrinos de cognatione spirituali, quae ex Trid. (1) contrahitur tantum inter Patrinum, ac ipsum Baptizatum, et illius Patrem, et Matrem; necnon inter baptizantem, et Baptizatum, Baptizatique Patrem, ac Matrem, ne ulla ignorantia cognationis, quam contraxerint, excusari valeant; quod si alii ultra designatos Baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahunt. Si Parochi culpa, vel negligentia secus factum fuerit, arbitrio Ordinarii, uti S. Synodus Trid. eodem loco disponit, punietur; itemque monere de eorum obligationibus. II. Matribus inculcare, et nutricibus, ne cum infantibus ob periculum suffocationis decumbant (2). Est hoc quidem divino naturali jure praeceptum, in cujus transgressores etiam Ecclesiasticae regulae poenas statuunt: ideoque Casum hunc Nobis reservavimus. III. Diligenter notare in libro diem, et horam nativitatis; necnon Parentum, et Patrinorum nomina. IV. Si Baptismus sub conditione vel sine coeremoniis sit collatus. V. Quo infans sit repertus, si publice fuerit expositus. In hoc casu Parochus, nisi certo ei constet de Baptismo collato, illum addita conditione baptizet, idque etiamsi schedula apud puerulum inventa testetur, Baptismum eidem administratum fuisse; nisi certo pateat, cujus manu sit exarata (3). Ne tamen commutet nomen ibi indicatum, schedulam asser-

(1) *Sess.* 24 *in Decr. de Refor. Matrim. c.* 2.
(2) *Rit. Rom. de Bap. Parvul.*
(3) *Cap. Parvulus* 110.

vet, remque totam in libro Baptizatorum describat. Si haec neglexerint, culpa non levi reos esse sciant ob incomoda, et damna, quae oriri possunt.

9. Denique quamvis necessitate urgente baptizare ubique nihil impediat, tamen proprius Baptismi administrandi locus est Ecclesia. Ait enim Conc. Trullanum (1) « *In Ecclesiis, non in domibus, aut in privatis Oratoriis Baptismus celebretur: contra faciens Clericus deponatur, Laicus excommunicetur* » Et ad rem inquit Silvius « *Bene advertant Parochi, nequaquam sibi licere ad instantiam eorum Nobilium, qui neque sunt Reges, neque Principes, ipsorum pueros vel in domo, vel in Capella domestica baptizare solemniter* » Hinc statuimus, ut excepta vera necessitate, Baptismus in privatis domibus, vel Oratoriis nunquam administretur; sed solummodo, licet raro, in aliqua viciniori Capella, si adsit juxta, et rationabilis causa per Nos, vel per Nostram Curiam cognoscenda, et de intelligentia Parochi, et cum aqua ex Fonte baptismalis suscepta.

CAPUT III.

DE CONFIRMATIONE.

1. SICUT *anima*, Tertulliano docente (2), *emaculatur, cum caro Baptismi lymphis abluitur: ita et Confirmatione consacratur, quum caro ungitur* » Hinc Apostolorum sollicitudo in Petri, ac Joannis Samariam missione, ut qui recepissent

---

(1) *Can.* 13.
(2) *Lib. de resur. Carnis, cap.* 8.

verbum Domini, et Christi fidem per Apostolicam impositionem manuum, unctionemque, praemissa oratione, Spiritum Sanctum acciperent. Confirmatio igitur dici debet Sacramentum a Christo institutum, quo baptizatis datur Spiritus Sanctus ad fidem constanter, et intrepide profitendam: unde juxta Divum Thomam ad spirituale robur datur: et per hujusmodi unctionem, ut S. Augustinus advertit, luctatores adversus diabolum fideles evadunt; et S. Cyprianus inquit, *signaculo Dominico fideles consummantur*. Olim immediate post Baptismum conferebatur; nunc parvulis, et adultis indiscriminatim confertur. Sub variis nominibus apud Patres legitur, nempe *Confirmatio*, quia Christi Milites adversus omnes carnis, mundi, et diaboli impetus confirmat, atque corroborat: *Impositio manuum*, quia manuum impositione tanquam materia confertur: *Sacramentum unctionis*, quia per Chrismatis Sancti unctionem ministratur: et *Sacramentum plenitudinis gratiae* ab Angelico Doctore, quia gratia divina abunde per Spiritum Sanctum diffunditur.

2. In primis Ecclesiae saeculis illis administrabatur, quibus Baptismus solemnis, nempe in Sabato Paschatis, et Pentecostes, et in quibusdam Ecclesiis etiam in festivitate Epiphaniae, et Natalis Domini, ubi nullum esset in mora periculum. Ut autem crevit fidelium numerus, sicut oportuit, ut Baptismus quavis die conferretur, ita necesse fuit, ut a Baptismo separaretur Confirmatio, et quocumque tempore pro Episcopi opportunitate conferebatur. Praeterea quamvis ex Synodo Mediolanensi V. laudetur praxis Episcoporum, qui sacra Pentecostes die, et quidem hora tertia praecipue confirment, quia nempe hac hora Spiritus Sanctus descendit in Apostolos, tamen

invaluit mos, ut Sacramentum hoc conferatur quocumque die Festo, aut feriali, et quacumque hora, sive post prandium, sive vespere: hoc autem intelligitur tantum, si gravis urgeat necessitas, et si adsit magnus Confirmandorum numerus, praesertim quod non pueri adeant Episcopum, sed Episcopus statis anni temporibus ob distantiam, et asperitatem locorum, Dioecesim suam perlustrat; et ob eamdem causam nec hodie semper datur, ut olim, a jejuno, et jejunis juxta consuetudinem, quae vigebat in saeculo XII, et ultra, ut ex Conc. Rothomag. (1). In quovis autem loco Apostoli Neophytos confirmabant, vigente persecutione; at data Ecclesiae pace in solis Cathedralibus; deinde in singulis Parochialibus; denique etiam in locis non sacris ob Confirmandorum moltitudinem, quam non capit Ecclesia; et etiam in domibus privatorum, si ita Episcopo videatur. Haec omnia habentur ex rubrica Pontificalis dicente: « *hoc Sacramentum potest conferri minus solemniter quocumque die, hora, et loco, ex causa, et ad arbitrium Episcopi* ».

3. Circa ordinem in administratione servandum antiqui Canones nihil statuerunt; at S. Carolus in laudata Synodo Mediolanense hodiernam praxim his verbis describit « *Mares in Ecclesia a parte sua, foeminae ab altera sint, sicque separatim distincti, manibus ante pectus junctis, suo quisque ordine, pie ac religiose orent, et quod veteris est ritus, primum mares, deinde foeminae confirmentur, nisi aliquando aliter fieri Episcopus censuerit* ».

4. Hujus Sacramenti quatuor effectus numerantur. I. Cum caeteris Sacramentis communis, quod

(1) *Anno* 1702 *cap.* 7.

novam gratiam sanctificantem tribuat. II. Ei peculiaris, quod singulare robur ad fidem firmiter tenendam, et intrepide profitendam confert. III. Quod Deus hujus Sacramenti virtute non solum in Nobis id confirmat, quod in Baptismo operari coepit, sed insuper augumentum praestat ad gratiam. IV. Quod imprimat characterem, quo fit, ut nulla ratione iterari possit.

5. Parochorum ergo, omniumque curam animarum habentium munus est, ut quamprimum ex Nostris litteris intellexerint, hoc Sacramentum in eorum Parochiis administrandum esse, ejusdem vim, dignitatem, et mirabiles Divinae bonitatis profusiones uberius declarent, quae facile dignosci possunt ex eo, quod a solis Episcopis, tamquam ordinariis Ministris dispensatur, ut ex Act. (1), ubi fertur, quod cum audissent Apostoli Philippum Diaconum multos in Samaria baptizasse, miserunt, ut innuimus, Petrum, et Joannem Apostolos (ac proinde Episcopos, quatenus Apostolorum Successores) ut baptizatis a Philippo imponerent manus, et robur Spiritus Sancti manuum impositione conferrent. Populum ergo instruant super necessitate tanti Sacramenti. Quamvis enim Confirmatio non sit absolute necessaria necessitate medii ad salutem; tamen, ait Catechismus Romanus (2): « *A nemine praetermitti debet*, *sed potius maxime cavendum est*, *ne in re Sanctitatis plena*, *per quam nobis divina munera tam large impertiuntur*, *aliqua negligentia committatur. Quod enim omnibus communiter ad Sanctificationem Deus proposuit*, *ab omnibus etiam summo studio expetendum est* ». Hinc fideles hoc Sa-

(1) *Cap.* 8 *v.* 14.
(2) *Part.* 2 *de confirm.* §. 16.

cramentum non negligere, sed sive in re, si possint, sive in voto suscipere tenentur ex praecepto divino, quod quamvis expresso non legatur in Scripturis, tamen colligitur ex Traditione, et praxi Ecclesiae, quae ab Apostolorum tempore sollicita fuit, ut non modo adultis, sed parvulis baptizatis hoc Sacramentum statim conferretur; itemque ex praecepto Ecclesiastico, ut patet ex Conciliis, quae id stricte imponunt; et Mediolanense IV. sub S. Carolo addit, quod « *qui hoc neglexerit Canonicis subjaceat disciplinis* » praeter grave peccatum, ut ex Bened. XIV. patet. (1).

6. Nomen Confirmandi immutari potest, « *Si turpe, ridiculumve sit, nec plane conveniens homini Christiano* (2) », vel ad pium votum, ac desiderium Confirmandi, dum tamen fraus, et dolus absit (3).

7. Patrinum Confirmationis designent Parentes, et in eorum defectu Episcopus. Nullus praesentet, nisi unum, ut in Pontificali Romano habetur, aut duos, non plures, nisi aliter necessitas suadeat, arbitrio Episcopi. Quales vero esse debent Patrini, easdem qualitates habeant ac illi, qui in Baptismi Sacramento adhibentur, ut (num. 7) dictum est.

8. A munere Patrini in Confirmatione excluduntur omnes ii, quos supra exclusimus loquendo de Baptismo (eodem num. 7). Item nondum Confirmati, quia alioquin non vere Patrini sunt. (4). « *In Baptismate, vel in Chrismate non potest alium suscipere in filiolum ipse, qui non est baptizatus, vel confirmatus* ».

---

(1) *Constitut. Etsi Pastoralis*...
(2) *Conc. Mediol. V.*
(3) *Syn. Carnoten. an.* 1525.
(4) *Cap. Non plures distin.* 4.

9. Praeterea quia adultus, qui confirmatur, debet ponere pedem suum super pedem dexterum Patrini sui praescribit Pont. Rom. « *Ut neque masculi foeminis Patrini, neque foeminae masculis Matrinae esse debent* ».

10. Doceant praeterea Parochi, quod cognatio, quae ex hoc Sacramento contrahitur, Confirmantem, et Confirmatum, ejusque Patrem, et Matrem, ac Tenentem non egreditur (1). Denique omnes curam animarum habentes in Librum referre debent tum nomina Confirmatorum propter ordines suscipiendos, quia qui Clericali Tonsura initiari volunt, tenentur sub gravi praecepto, saltem Ecclesiastico, praemittere Confirmationem, ut in requisitis de Sacramento Ordinis dicetur: tum nomina Patrinorum, et Parentum Confirmatorum, inter quos contrahitur cognatio spiritualis, et dum celebrantur matrimonia, inquirant, an contrahentes fortasse impediantur cognatione contracta, ut in Sacramento Matrimonii exponetur: tum magnopere ut innotescat, quinam Sacramentum hoc receperint, ad evitandam iterationem.

11. Ante haec omnia autem Parochi efficiant, ut Confirmandi rite praeparati accedant; et sciant non posse, sine gravi sacrilegio Confirmationem accipere, qui sibi lethalis peccati sunt conscii. Satagant itaque, ut quantum pro cujusque aetate licet, animam Poenitentiae Sacramento expient.

12. Quemadmodum diligentissime faciendum est, ut Confirmandi adsint (adesse autem tenentur) precibus, quibus descensum Spiritus Sancti, suorumque donorum in ipsos publice implorat Episcopus, ita quoque faciendum est, ne discedant

---

(1) *Trid. sess. XXIV. de reform. matrim. cap.* 2

a Templo, quin Pontificalem, postremo impertiendam, benedictionem acceperint (1).

13. Haec de Confirmationis administratione publica, et solemni. Verum cum in Civitate, aut Dioecesi morabimur, privato etiam ritu, aegrotantibus praesertim, quotiescumque opus fuerit, ipsam conferre nunquam denegabimus. Immo Parochis, et omnibus Animarum Curam habentibus, si quis infirmus non Confirmatus periclitetur, Nos faciant certiores, ut eo Sacramento muniri possit, mandamus.

CAPUT IV.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

1. Ex hoc mundo ad Patrem reversurus Christus Dominus, cum dilexisset suos, in finem dilexit eos, ineffabile mysterium excogitando, quo nobiscum esset omnibus diebus usque ad consummationem saeculi, nempe Ss. Eucharistiae Sacramentum in ultima Coena, quae Passionem ejus praecessit, in memoriam suorum mirabilium instituit, et Carnem Suam vere cibum, et Sanguinem Suum vere potum Nobis dedit, hinc jure, meritoque Sanctum Sanctorum, amor amorum, et dulcedo omnium dulcedium a Divo Bernardo nuncupatur.

2. Eucharistia definitur: Sacramentum Divini Corporis et Sanguinis, sub speciebus panis, et vini ad spiritualem animae refectionem a Christo Domino institutum. Sumi potest I. *Sacramentali-*

(1) *Pont. Rom. de Confir.*

ter, si homo viator, et Baptizatus ore sumat, et in stomacum demittat; hocque fieri potest vel cum fructu, si sumat digne, et cum debitis dispositionibus; nam Christus inquit apud Joannem (1) « *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam* » vel sine fructu, si manducet indigne, dicente Apostolo ad Cor. (2) » *Qui manducat, et bibit, indigne judicium sibi manducat, et bibit, non dijudicans corpus Domini* ». II. Sumi potest *spiritualiter*, si viva fide excitatus Sacramentum hoc digne suscipere desideret.

3. Effectus hujus divinissimi Sacramenti partim ad animam, et partim ad corpus referuntur. Qui ad animam spectant sunt I. *Augmentum gratiae sanctificantis*, de qua loquitur Conc. Flor. in Dec. Eugen. IV. ad Armenos. Hujusce Sacramenti effectus, quem in anima operatur digna salutis, est « *adunatio hominis ad Christum, ita ut interius perfectior, et modo spirituali Deo conjunctior evadat* » II. *Gratiae actuales*, quibus homo suo tempore, et loco excitatur vel juvatur in operando utiliter ad salutem, et hinc in Dei amore fit fervens, quoniam Eucharistia specialiter Sacramentum charitatis nuncupatur. III. Quod *defendat animam a peccato mortali* juxta illud Joannis (3). *Hic est panis de Coelo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non morietur.* IV. *Remissio peccatorum venialium* directe per se, et ex opere operato, ut patet ex Conc. Trid. (4), ubi de Eucharistia dicitur sumi » *tamquam Antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis* »

---

(1) *Cap. VI. v.* 55.
(2) *Cap. XI. v.* 29.
(3) *Cap. cit. v.* 50.
(4) *Sess. XIII. cap.* 2.

quae certe sunt peccata venialia. V. *Remissio poenae peccatis debitae*, secundum modum devotionis, et fervoris, inquit Angelicus Doctor, causat in Nobis actus perfectos, quibus alicujus poenae remissio respondet, saltem ex opere operantis. VI. Denique *aeterna gloria*, et quia causat gratiam, quae est pignus gloriae; et quia Christus per Eucharistiam dat speciale jus ad gloriam.

4. Effectus vero, qui ad corpus attinent, sunt I. *Cordis dilatatio*, *vultus laetitia*, *oculorum modestia*, *linguae refrenatio*, *et totius corporis reformatio*. Haec mediate operantur, quia ex fervore charitatis, et ex virtutibus in anima sequuntur. II. *Imminutio fomitis peccati*, sive concupiscentiae; et licet directe non ordinetur ad hoc, diminuit tamen fomitem ex quadam consequentia, in quantum auget charitatem, ait S. Doctor supra laudatus. III. *Summa unio* corporis nostri cum Corpore Christi secundum illud Joan.(1)» *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem in me manet, et ego in illo* » hinc efficimus caro illius, qui pro amore nostri factus est caro. IV. *Gloriosa resurrectio corporis*, quae non solum causatur ratione gratiae, sed etiam speciali modo ab Eucharistia, nam inquit Christus (2) « *Qui manducat meam carnem* . . . . *ego resuscitabo eum in novissimo die* ».

5. Quum in Dei Ecclesia nihil dignius, nihil sanctius, et nihil sit admirabilius Ss. Eucharistiae Sacramento, in quo maximum Altissimi donum continetur, et Ipsemet omnis gratiae, et sanctitatis Fons Christus Dominus, Parochi summum studium in

(1) *Cap.* 6 *v.* 57.
(2) *Ex cod. Joan. ibid. v.* 55.

eo ponant, ut eximia veneratione colatur, maxima reverentia tractetur, et summo decore adservetur. Hinc quae sequuntur, ad amussim impleantur.

6. Tabernaculum sit affabre laboratum, vel ex marmore, vel ex ligno exterius inaurato, bene firmo, et undique clauso, intus vero tegumentis sericis ab omni parte, et saltem in posteriori, non alterius coloris, nisi albi, vel rubri contectum decentibus conopoeis e nobiliori materia, vel alba, vel ad rubricam colorata in honorem Christi viventis, coopertum, et collocatum in Altari Majori; at in Cathedrali, in alio, quod venerationi, et cultui hujus tanti Sacramenti commodius videatur, et ita ut nullum Ecclesiasticis officiis impedimentum afferatur. Illius Ostiolum firma sera, et clavi argentea, vel saltem deaurata, ex qua sericus floccus pendeat, sit munitum: et continuo, ac diligenter servetur penes Parochos.

7. In Tabernaculo nihil aliud, quamvis Sacrum, praeter Augustissimum Sacramentum, custodiatur in Pixide argentea, saltem ex parte superiori intus auro illita, exterius vero conopoeis albi coloris contecta, substrato semper nitidissimo Corporali in planitie, saepe saepius mutando. Foris sit vas parvum cum aqua ad digitos, Sacramento administrato, abluendos, et purificatorium ad eos abstergendos. Ante Tabernaculum in signum reverentiae, et amoris, quo omnes fideles hoc Sacramentum prosequi debent, dieque, noctuque lampas ardeat illi Deo, qui purissimi ignis Amoris est dispensator. Si Parochorum negligentia extincta permaneat, vel quod gravius est, accensa non fuerit, condigne, et rigide punientur. Habeant quoque Parochi parvam Pixidem pro Infirmorum communione, quae in bursa pretiosa inclusa, et ad collum appensa ad dissita loca commode deferri possit; ac

in administrando hoc Coelesti Pane Infirmis, ordinem in Rit. Rom. praescriptum ad unguem teneant. Sacrae Particulae numquam desint , et pro Fidelium communione, et pro aegrotantium necessitate ; et ne corrumpantur, in qualibet hebdomoda , vel feria quinta in memoriam Institutionis , vel die Dominico innovandae erunt , et fragmenta diligentissime collecta insumi debent.

8. Sanctissimum Viaticum comitenter Novitii , Clerici , et in Sacris Constituti , et in eorum defectu , saltem quatuor Sacerdotes, vel per turnum, vel per hebdomodam cum cereis , seu intorticiis , aut cum lanternis, vulgo *lampioni*, quae adversus imbrium , ventorumque vim colluceant.

9. Per Parochos monendi sunt omnes, et singuli Christifideles utriusque sexus , quod juxta Sanctae Matris Ecclesiae praeceptum tenentur singulis annis , saltem in Paschate, ad communicandum, cum ad annos discretionis pervenerint (1) , quod praeceptum est quoque divinum , ut constat ex Christi verbis apud Joann. (2) » *Nisi manducaveritis Carnem Filii Hominis, et biberitis ejus Sanguinem , non habebitis vitam in vobis.* » Jure Parochi igitur , ut alio diximus , in rebus fidei , et morum singulis anni Dominicis , et Festis diebus pueros , et puellas instruant , aut per idoneos Sacerdotes , aut saltem per alios in Sacris constitutos , et sic ab anno decimo ad Communionem disponantur, quando hujus Sacramenti cognitionem, et gustum habere praesupponitur , nisi naturalis perspicacia aetatem superet . Nullius autem Communio differatur ultra decimum quartum annum , et si id Parochorum negligentia contingerit , Dei

---

(1) *Conc. Trid. Sess. XII. can.* 9.
(2) *Cap. VI. v.* 54.

grave Judicium non effugient. Alios vero, qui post Paschae Octavas saepius admoniti, et propriae salutis immemores huic tanto praecepto non obtemperaverint, Ordinario denuntiabunt, qui de eorum spirituali salute opportuniora, et efficaciora remedia capesset.

10. Aegroti Parochiales etiamsi aliis anni temporibus communionem sumpserint, in diebus Paschalibus hoc Angelico Cibo erunt reficiendi.

11. Parochi, omnesque alii, quibus Animarum cura commissa est, ad sacram Synaxim non admittere, immo arcere debent publice indignos, nempe nominatim excommunicatos, interdictos, foeneratores, magos, sortilegos, blasphemos, manifeste infames, veluti meretrices, concubinarios, aliosque hujusmodi peccatores, nisi de eorum poenitentia, et emendatione constet, et publico scandalo prius satisfecerint (1). Parochi vero, et Cathechistae omnes Christifideles admoneant, quod nemo sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa Sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat: et ut quantum in Nobis est, tanti sacrilegii etiam periculum avertamus, omnibus alta voce edicimus cum Apostolo Paulo (2)« *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis, et Sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans Corpus Domini* ».

---

(1) *Rit. Rom. de Euch. Sacram.*
(2) 1. *Cor. Cap. XI. v.* 27 28 29.

12. Denique in quacumque sive Saecularium, sive Regularium Ecclesia divinam Eucharistiam extraordinarie, et publice exponere prohibemus, nisi justa, et a Nobis probanda intercesserit causa, et facultate Nostra in scriptis data.

CAPUT V.

DE SACRIFICIO MISSAE.

1. Celebrato veteri Paschate cum Agno, quem in memoriam exitus ab Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat, Christus Dominus Novum Pascha, scilicet Se Ipsum Agnum sine macula a Sacerdotibus sub visibilibus signis immolandum, et a Fidelibus comedendum, instituit. Sacrificium certe, in quo ipse fuit Sacerdos, et Victima. Sacrificium, quod in Ara Crucis pro nobis de Se Ipso obtulit, et satisfecit non modo perfecte, sed superabundanter. Sacrificium, inquam, quod sub speciebus Panis, et Vini obtulit in ultima cum suis Discipulis Coena, et quotidie offert per ministerium Sacerdotum, quibus teste Apost: (1) dixit « *hoc facite in meam commemorationem* » Sacrificium hoc unum idemque esse fatemur et quod nunc in Missa offertur, et quod olim in Cruce oblatum fuit, eadem quippe est utriusque Hostia, idemque praecipuus Sacerdos Christus, sola offerendi ratione diversa. Ex hoc ergo intelligant Sacerdotes quanta reverentia, et quibus animi dispositionibus ad Sacramentum Altaris sit accedendum. Hinc nulli Sacerdoti cujusvis criminis reo Sacra operari liceat; at potius cum S.

---

(1) *Ad Cor. Cap. II. ver.* 24.

Carolo imponimus omnibus, et singulis, etiam severioris vitae, ut sua singulis saltem Dominicis peccata confiteantur, et sic divino Pane se reficiant.

2. Cunctos in Domino hortamur, et obsecramus, ut memores Characteris, quo Spiritus Sancti gratia honestantur, Angelos se esse perpendant, ut Malachias edocet, adeoque in carne juxta Divum Chrysostomum, Angelis ministerio praestare, proindeque populis lumen praebere teneri. *Nugas ergo, quae nugae tantum Laicis sunt, Sacerdotibus*, ut ait S. Bernardus, *blasphemiae*. Dignitatis suae memores sint, muneri suo sanctius vacent; severam vitam, singulare pondus, sobriam a turbis gravitatem studeant sibi vindicare.

3. Quisquis ergo in Sacerdotum albo cooptari meruerit, ad Aram Sacra operaturus non veniat, nisi a Nobis licentiam obtinuerit, licet gratis, postquam testimonio Coerimoniarii Canonici Nostrae Cathedralis coerimonias didicisse, et quae memoriter recitandae sunt, perfecte callere probaverit; nec ea facultas suffragabitur ei, nisi per octo saltem dies sibi adstante perito Sacerdote omnino bene peregerit.

4. Externus Sacerdos ad Sacrificium celebrandum non admittatur, nisi Ordinarii sui, aut Vicarii loci litteras firmatas exhibuerit; quibus recognitis, Nostra Curia licentiam impertietur, observatis omnibus, quae alio loco diximus, atque praecepimus.

5. Omnis Sacerdos Sacrum facturus, antequam Divinam rem aggrediatur, Matutinum saltem cum Laudibus recitasse; necnon mente orasse, Psalmos, Orationesque devote legisse, et Missae Sacrificium conficiendi intentionem determinasse, oportet. Deinde lotis manibus sacra indumenta superinduat,

Orationes ad singula praescriptas recitans voce submissa, ac cum nullo postea loquatur. Rem faciens Divinam, agat, quod agit, mysterium perpendat; cum populum salutet, oculis praeter suppedaneum, non circumspiciat. Sacristiam rediens eundem teneat ordinem, et sacris exutus vestibus, manibusque ablutis, saltem per unius quadrantis horae spatium Domino gratias agat. Hinc qui Sacristiae praesunt, silentium ibi servare studeant, ut omnes Sacerdotes praesertim ante, et post Missam se colligant. Missa vero, quae minus quam unius horae trientis spatio peragitur, non sine gravi culpa expletur.

CAPUT VI.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

1. Justus, et misericors Deus, qui Angelis peccantibus non pepercit, hominibus saepe relapsis Viscera Bonitatis suae aperire dignatus est, Sacramentum Poenitentiae instituit, a Ss. PP. nuncupatum Secunda post naufragium deperditae gratiae Tabula, et quae sola superest ad Portum in tempestate vitae tenendum. Poenitentia a Graecis *Exomologesis* nuncupata, est Sacramentum a Christo Domino institutum ad delenda peccata post Baptismum commissa per actus poenitentis, et absolutionem Sacerdotis. Hoc Sacramentum eo diligentius est administrandum, quo frequentior est usus, et quo plura requiruntur ad illud recte, digneque tractandum, ac suscipiendum. Cum autem ad illud constituendum tria concurrant, nempe materia, forma, et Minister cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; hinc breviter dicimus, quod materia remota sunt peccata post

Baptismum commissa; materia vero proxima sunt actus Poenitentis, videlicet *oris confessio*, *cordis contritio*, *et satisfactio*, quae a Conc. Trid. (1) *partes poenitentiae appellantur*. Forma sunt illa absolutionis verba: *Ego te absolvo* . . . .

2. Hujus tanti Sacramenti effectus sunt I. *Remissio cujuscumque peccati mortalis*, ut ex Christi verbis apud Matth. (2) *Quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in Coelo*. Hinc nullum est peccatum, quod per veram poenitentiam reparari non possit. Et quamvis in permultis Sacrae Scripturae locis, aliqua peccata, praesertim contra Spiritum Sanctum, dicantur non posse remitti in hoc, neque in futuro saeculo; tamen hujusmodi locutiones aut pertinaciam, et obstinationem in peccato, aut remissionis difficultatem, non omnimodam impossibilitatem exprimunt. Nullum est enim tam grave, et nefarium scelus, quod poenitentiae Sacramento non quidem semel, sed iterum, et saepius non deleatur, ut inquit Cath. Conc. Trid. (3). II. *Remissio culpae, et poenae aeternae, et quandoque poenae temporalis pro ratione poenitentiae susceptae, et fervore contritionis*. III. *Remissio peccatorum venialium*, si eorum etiam peccatorem poeniteat. IV. *Restitutio gratiae, et virtutum*, quemadmodum testatur Deus per os Ezech. (4) « *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est. . . . vita vivet, et non morietur, omnium iniquitatum ejus non recordabor* » V. *Reviviscen-*

---

(1) *Sess. XIV. can.* 4.
(2) *Cap.* 18 *v.* 18.
(3) *Part.* 2 *n.* 18 *de Sacr. Poenit.*
(4) *Cap.* 18 *v.* 12.

tia meritorum , quae per peccatum mortificata fuerunt juxta illud ejusdem Prophetae (1) « *Impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit ab iniquitate sua* ».

3. In primis ergo a Parochis instruendi sunt Fideles in singulis Dominicis Festis, et Sacratissimae Quadragesimae diebus ex praecepto S. Matris Ecclesiae , et sub poenis in Conc. Later. IV. sub Innocentio III. inflictis , quemque utriusque sexus, postquam ad discretionis annos pervenerit , teneri ad Confessionem peccatorum proprio Sacerdoti , saltem semel in Anno , et praecise intra Quindenam Paschalem h. e. a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis ex pia consuetudine merito retinenda , ut loquitur Conc. Trid. (2) 2. Fideles usum rationis habentes non modo semel in Anno , et quoties mortis periculum imminet , sed saepe saepius , et quod summopere optandum est, statim ac ciciderint , culpas suas confiteantur.

4. Doceant qua methodo examinanda est conscientia , ut Fideles juxta mentem Conc. Trid.(3) confiteantur omnia , et singula sua peccata mortalia , quorum memoriam cum debita , et diligenti sui discussione habeant , et circumstantias , quae peccati speciem mutant. Doceant confessionem Sacramentalem inter alias dotes debere esse *integram*, quae videlicet peccatorum speciem , numerum , et circumstantias speciem mutantes evolvant ; at non semper materialiter integram , nempe per adaequatam accusationem omnium peccatorum , utpote quandoque physice , vel moraliter impossibilem , sed formaliter integram , nempe per accusationem

(1) *Cap.* 33 *v.* 12.
(2) *Sess.* 14 *C. V.*
(3) *Sess.* 14 *Can.* 7.

eorum, quae post diligens conscientiae examen redeunt in memoriam, ut ex Trid. (1). Debere esse *simplicem*, non artificiose compositam, ut loquitur Cathechis. Rom. (2); nec historicam narrationem, uti fit a nonnullis, qui potius vitae suae rationem exponere, quam peccata confiteri videntur. Debere esse *humilem*, nempe rei humiliter deprecantis veniam, deposito omni saeculari fastu, oculis in terram demissis, exemplo Pubblicani, aperto capite, flexis genibus ect. et demum *paratum Confessario* imponenti poenitentiam, remedia, aliasquae obligationes, parere.

5. Doceant cum PP. Conc. Trid. (3) contritionem, quae primum locum inter Poenitentis actus habet, quovis tempore necessariam ad impetrandam remissionem peccatorum, esse animi dolorem, ac detestationem de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero. Hujusmodi dolorem esse *perfectum*, si ex motivo charitatis, nempe ob Deum super omnia dilectum propter Seipsum, suamque Bonitatem: et *imperfectum*, si ex motivo inferiori eliciatur, quamvis supernaturali h. e. ex peccati turpitudine, vel ex gehennae, et poenarum metu: hinc unus ab altero differet, et ratione motivi, ut dictum est; et ratione effectus, quia dolor perfectus, seu contritio per se remittit peccata, et justificat extra Sacramentum, quamvis non sine voto Sacramenti Poenitentiae, et dolor imperfectus, seu attritio per se non sufficit ad remissionem peccati mortalis sine Sacramento Poenitentiae in re suecepto, sed ad illud disponit.

6. Doceant Parochi hujusmodi dolorem debere

---

(1) *Sess.* 14 *C.* 5.
(2) *Part.* 2 §. 50 *de Sacr. Poenit.*
(3) *Sess.* 14 *C. IV.*

esse. I. *Internum* juxta illud Joel (1) ; *Scindite corda vestra* , hinc non ab ore tantum , sed ex intimo cordis affectu profluere debet « *sicut de corde exeunt cogitationes malae, homicidia , adulteria , fornicationes , furta. . . .* » ut apud Math. (2) , et Marc. (3) . II. *Supernaturale* , nempe ex supernaturali motivo per auxilium gratiae intus operantis. III. *Universalem* , ita ut dolor se extendat ad omnia mortalia, nullo excepto, ut aperte colligitur ex verbis apud Ezech. (4) . « *Convertimini , et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris : et projicite a vobis omnes praevaricationes vestras* ». IV. *Efficacem*, nempe ut includat voluntatem non peccandi de caetero, et contineat firmum propositum servandi omnia praecepta , et adhibendi omnia media ad fugam peccati , et ad observantiam mandatorum .

Hinc non modo exigitur cessatio, et odium peccati , sed novae vitae peccatis contrariae institutio. Inquit enim Trid. (5) « *Declarat S. Synodus hanc contritionem non solum cessationem a peccato, et vitae novae propositum , et inchoationem , sed veteris etiam odium continere* » V. *Appretiative summum* , ita ut homo sit paratus , quodvis malum pati potius , quam mortaliter peccare juxta illud Deuter. (6) « *Cumque quaesieris ibi Dominum Deum tuum invenies eum , si tamen toto corde quaesieris, et tota tribulatione animae tuae* » .

---

(1) *Cap.* 2 *v.* 13.
(2) *Cap.* 15 *v.* 19.
(3) *Cap.* 7 *v.* 12.
(4) *Cap.* 18 *v.* 30 31.
(5) *Sess.* 14. *Cap. IV.*
(6) *Cap. IV v.* 29.

7. Doceant denique operis satisfactionem, ut vocatur a Conc. Flor. esse executionem poenitentiae impositae a Confessario; ideoque esse partem hujus Sacramenti essentialem, quoad intentionem, in executione vero integralem, sine qua differenda, vel neganda est absolutio, aperte colligitur ex Rit. Rom. (1): quibusvis enim peccatum, vel proximam peccandi occasionem relinquere abnuentibus, veluti concubinariis, meretricibus, conjugibus illicite inter se separatis, usurariis, odia, et inimicitias non deponentibus, excommunicatis, interdictis, et recidivis vera poenitentiae signa non dantibus, absolutio est deneganda, nisi in periculo mortis sint constituti, et impoenitentiae signa non dederint. Absolutionis vero beneficium denegetur iis etiam, qui differunt, cum possint, restitutionem rei alienae, vel famae.

8. Quoniam Confessarius in Tribunali Poenitentiae gerit officium Judicis, Medici, et Doctoris ex Trid. (2), moneat, corrigat, et opportune det medicamenta salutis in Confessione Sacramentali, ideo saltem sit instructus circa communiora, et frequentiora peccata; et prae oculis habeat criminibus, etsi gravibus, numquam publicam imponere poenitentiam.

9. Ne autem Confessarius pro pisce scorpionem, et pro ovo lapidem porrigat, Poenitentes sollicitando (scelus enorme, et horribile dictu) ultra casum Nobis cum excommunicatione reservatum, ut infra in Casuum Tabella, praecipimus omnibus, et singulis, quod si forte in Sacramentali Confessione audiat Poenitentem sollicitatum ad inhonesta ab alio Confessore, eum admoneat de rigorosa obligatione denunciandi Sollicitantem juxta Apostolicas

(1) *De Sacr. Poenit.*
(2) *Sess. 14 de Poenit.*

Constitutiones Xisti V. Greg. XV., et praecipue Benedicti XIV. de anno 1741, quae incipit « *Sacramentum Poenitentiae ... renuentes nullo modo absolvat, secus poenas a jure statutas incurrat* ». Hinc Confessionalia sint in loco conspicuo, et non in Ecclesiae angulis; habeant fenestrellas ab utroque latere cum ferrea lamina minutis foraminibus terebrata, et exterius ligneis cancellis munitas, ita ut Poenitens audiri possit, non discerni, et cum asserculo versatili, ita ut Confessarii facies populo occultetur. Caveat item Confessarius, ne quovis pretextu, sive summae utilitatis, sive urgentissimae necessitatis, quidquam ex auditis in Confessione, voce, scripto, signis, factis, directe, vel indirecte revelet, ne gravissimis poenis juxta Sacrorum Canonum Decreta, sit obnoxius.

10. Denique quia ad Christiani populi disciplinam summopere pertinet, ut atrociora quaedam, et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus absolvantur; tum ut exactius judicentur, iisque efficacius remedium adhibeatur, tum ut fideles ab iis committendis ob difficultatem obtinendae absolutionis arceantur, inhaerentes facultatibus Nobis a Sacros. Conc. Tr. concessis(1), Casus infra sequentes auctoritate tantum Nostra absolvendos reservamus, praecipientes omnibus Confessariis tam Saecularibus, quam Regularibus, ne quem a casibus, et censuris vel Summo Pontifici, vel Nobis reservatis, sub quovis pretextu, nisi in mortis articulo, aut impetrata facultate absolvant sub poenis (praeter nullitatem absolutionis) per Apostolicas Constitutiones sancitis; et praesertim suspensione a Confessionibus. Confessarius vero simili facultate non munitus Poe-

(1) *Sess. 14 c. 7 de casuum reserv.*

nitentibus persuadere nitatur, ut ad Superiores, et legitimos Judices pro beneficio absolutionis accedant, aut facultatem impetrent.

PRO CASUUM MORALIUM CONFERENTIA.

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus in remissionem peccatorum eorum, Dominus Jesus Christus apud Math. (1) Sacerdotes salem terrae, lucemque mundi noncupat, quia eos elegit ad Populos in Fidei veritatibus erudiendos, et in morum regulis dirigendos; imo Deus ipse per os Malach. praeceperat (2) « *Labia Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus* ». At ad tantum opus apprime exsequendum instituta est casuum conscientiae Conferentia, in qua per Moralis, seu practicae Theologiae exercitationes, opiniones in diversis materiis discutiantur, quaestiones elucidentur, ut quod vel magis probabile, vel conscientiae tranquillitate consonum est, sequi possit. Methodus erit eadem, nempe in quolibet anno in directorii Officii calce, apponentur casus practici de iis, quae frequenter accidunt, solvendi tam in Cathedrali, quam in omnibus Ecclesiis Parochialibus Nostrae Dioecesis, in diebus quolibet Mense assignatis. Omnes Sacerdotes parati, necnon in Sacris constituti suam opinionem pro viribus exponent, et qui per tertiam vicem sine rationabili causa per Praefectum Conferentiae cognoscenda, absens erit, poenis arbitrio Nostro subjacetur. Clericos quoque et Novitios hortamur, ut intersint,

(1) *Cap. V. v.* 13 14.
(2) *C.* 2 *v.* 7.

et quae ad statum Ecclesiasticum pertinent, addiscere incipiant, et eos, qui frequentes erunt, ad Ordines libenter promovebimus, quoniam inter alia requisita, hoc certe maximum Nobis cordi est, scitos Operarios in vineam Domini mittere.



APPENDIX DE INDULGENTIIS.

1. Quanta sit Indulgentiarum virtus, satis apparet ex Angelico Doctore, qui docuit, peccatores a reatu poenae in Purgatorio juxta Dei infallibile judicium luendae absolvendos esse. Haec fuit semper Ecclesiae doctrina; aliter potestas per Dominum nostrum Jesum Christum Petro data dimittendorum criminum, vana esset, ubi quae in Terris per Sacerdotes non sunt remissa, in Coelis remitterentur: eo magis, quod hujusmodi condonatio fit in Christi Persona, et propter Redemptoris merita, quae infiniti sunt valoris, nullus haesitandi remanet locus, quin integra sit satisfactio, atque completa; *aquas hauriendo*, ait Isajas, *in gaudio de fontibus Salvatoris*.

2. Parochi vero, et Concionatores omnes, et etiam Regulares non audeant Indulgentias evulgare, nisi certas, et Apostolico Indulto concessas; idque si validum sit, a Nobis, aut Successoribus Nostris cognoscendum. Ad eas lucrandas excitentur Fideles, earum vim, et necessitatem declarando. Profecto si sola Martyrum merita, tanti pendebant Christicoli primitivi, uti observat Cyprianus, ut plurimum valere apud Deum Judicem expresse profiteri non dubitarint; quid dicemus cum Ecclesia de thesauro meritorum Christi, B. Virginis, Sanctorumque omnium gratias, et In-

dulgentias ad reatum poenae luendum animabus nostris large concessas? Instruatur tamen populus, non solum lucrari Indulgentias, sed magis opera et fructus facere poenitentiae opus est. Instruatur frustra appeti Indulgentiarum bona, si in peccato mortali degant; nullam namque poenae remissionem aliquis assequi potest, nisi a Dei misericordia sit eam consecutus. Instruatur, ut omnes, qui Indulgentias lucrari cupiunt totis viribus, et peculiari sedulitate ad satisfaciendum Divinae Justitiae congruis, et diuturnis laboribus conentur. Denique meliori, quo possit, studio opera injuncta ad amussim, neque addendo, neque diminuendo adimpleantur; et nemo audeat sub poenis Nostro arbitrio infligendis eas modo non disposito evulgare, aut tenorem immutare.

CASUS RESERVATI

CASUS CUM EXCOMUNICATIONE FERENDÆ SENTENTIÆ.

1. Magias, Veneficia, Maleficia, Sortilegia, Divinationes, et cujuscumque Superstitionis opera scienter perpatrantes.

2. Deponentes falsum testimonium, utentes falsis testibus, vel istrumentis, vel scripturis falsis in alicujus praejudicium, Judices, Actuarii, Notarii, Commissarii non sinceram dolo capientes informationem, vel non integra testium dicta describentes, in causis tam civilibus, quam criminalibus.

3. Exercentes publice usuram; ac scribentes,

stipulantes, vel mandantes, conscribi, aut stipulari contractus expresse, vel tacite usurarios.

4. Sponsorum carnalis Copula ante Matrimonium contractum per verba de praesenti; vel post tertiam vicem Sponsi accessus Sponsae domum, necnon Parentes, vel alii, ad quos Sponsae cura pertinet, id permittentes.

5. Colloquentes cum Monialibus, Novitiis, vel Educandis, vel Conversis, in Monasterio degentibus, sine expressa licentia, exceptis in 1., et 2. Consanguinitatis, aut in 1. affinitatis tantum gradu conjunctis; praeterea, qui obtenta, vel non obtenta a Nobis licentia obscena cum iisdem colloquuntur, et in hoc tantum casu subjiciuntur Excommunicationi latae sententiae; item ad turpia commoventes sive scriptis, sive quibuscumque actibus externis.

6. Confessarii omnes ad inhonesta Personam quamcumque, sive in actu Confessionis, etiam non immediate ante, aut non immediate post, pretextu, vel occasione Confessionis, vel extra Confessionem in Confessionalibus, aut in loco ad Confessiones audiendas deputato, sollicitantes, aut quomolibet cum iisdem impudice tractantes, seu colloquentes; et haec etiam cum Excomunicatione latae sententiae.

7. Parentes, aliique, qui filios, caeterosque suae curae commissos, neque per se, neque per alios instruunt in Fidei rudimentis; nec satagunt, ut ad Christianam doctrinam addiscendam diebus saltem Festis in Ecclesiam conveniant.

CASUS ABSQUE EXCOMMUNICATIONE.

1. Homicidium voluntarium, ejusque consilium, vel mandatum, et veneni propinatio dolosa; et abortus, effectu etiam non sequuto: si vero sit secutus abortus, casus est reservatus cum excommunicatione tam pro viris, quam pro mulieribus, juxta Constitut. Xisti V. et Bullam Greg. XIV.

2. Conjugati in eodem lecto cum pueris suis ante annum, aut post quinquennium dormientes.

3. Blasphemantes Deum, vel Jesum Christum, aut BB. Virginem post tertiam Confessionem; aut daemoni sanctitatem appropriantes.

4. Concubinarii post secundum cohabitationis mensem, et post tertium sine cohabitatione.

5. Bestialitas, vel Sodomia activa, vel passiva cum quovis sexu.

6. Incestus in 1. gradu consanquinitatis, et affinitatis. Stuprantes Virginem, vel Viduam vi, vel metu, vel ficta Matrimonii promissione.

7. Quicumque, ad quos spectat, non fatentes veritatem in attestationibus circa promotionem ad Ordines, Collationem, et Institutionem Beneficiorum, officiorumque Ecclesiasticorum; et etiam Patrimonium fictum tam in Ordinato, quam in consilium, favorem, vel consensum dantibus.

8. Mulieres scandalosae vanitatis causa, pectore, aut brachiis non coopertis incedentes.

9. Exercentes, aut mandantes opera servilia absque necessitate, et sine Superiorum permissu in diebus Festis.

Hisce tamen Casibus, et Censuris non comprehenduntur adoloscentes utriusque sexus, nisi post pubertatem.

Qui vero Confessarius sive Saecularis, sive Re-

gularis attentaverit, extra mortis articulum, absolvere ab aliquo ex his Casibus, et Censuris reservatis, amplius non audeat et ipso facto sentiat se esse suspensum ad Fidelium Confessiones excipiendas sine Nostra nova facultate: sicut etiam, qui eleemosynam, aut Missas ab ipso alicui pro poenitentia impositas, sibi attribuit.

CAPUT VII.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

1. Si omni vitae tempore adversarius diabolus circuit quaerens, quem devoret, ut praesertim suae nequitiae vires extricat in extremo vitae nostrae discrimine, ex quo terribili momento pendet aeternitas vel beata, vel infelix. At Dominus Jesus Christus tantae necessitati sapientissime consulens, Sacramentum Extremae Unctionis instituit. Hoc Sacramentum, a Conc. Trid. (1) totius vitae Christianae consumativum appellatur, apud D. Marcum innuitur (2) « *ungebant oleo multos aegros, et sanabantur* » et per Jacobum Apostolum fuit (3) fidelibus commendatum, ac promulgatum » *Infirmatus quis in vobis? Inducat* . . . Est ergo Extrema Unctio Sacramentum a Christo institutum ad conferendum aegroto de vita periclitanti gratiam ad resistendum tentationibus, ferendum patienter dolores, et peccati reliquias abstergendas, atque etiam ad corporis sanitatem, si

(1) *Sess.* 14 *de Doctr. de Sacram. Extremae Unct.*

(2) *Cap. VI. v.* 13.

(3) *Jacob. C. V. v.* 14.

expediat, restituendam per Unctionem Olei benedicti, et Orationem Sacerdotis. Hinc juxta Conc. Trid. (1) *haec sacra Unctio infirmorum instituta est tamquam vere, et proprie Sacramentum Novi Testamenti a Christo Domino nostro*, ac praeter singulares praedictos effectus, etiam *si* infirmus *in peccatis sit*, *dimittentur ei*. Hoc inquam Sacramentum in primis Ecclesiae Saeculis fuit appellatum *Oleum Sanctum*, *Oleum Benedictionis*, *sacrati Olei Unctio*, *et Unctio infirmorum*, et sub finem saeculi XII. *Extrema Unctio*, non quia ultimo loco, et post omnia Sacramenta aegris conferatur, sed quia haec est ultima omnium Unctionum, quibus Ecclesia in Sacramentis ministrandis utitur.

2. Materia hujus Sacramenti remota est Oleum olivarum ab Episcopo benedictum, ut colligitur ex Conc. Trid. (2), et quod singulis annis, renovari debet, vetere combusto. Materia vero proxima est Unctio quinque corporis sensuum, et renum, quamvis renum Unctio in Foeminis propter honestatem omittitur, et quoque in viris cum ea morbi vis est, ut infirmus commode moveri non possit. Unctio enim Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter aegrotantis anima inungitur, aptissime designat. Forma est solemnis illa precatio, quam Sacerdos ad singulas Unctiones adhibet, cum inquit « *Per istam Sanctam Unctionem* . . » si vero periculum sit, ne infirmus decedat antequam omnes Unctiones fiant, cito sensus ungantur formam sic proferendo » *Per istam S. Unctionem*, *et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi*

(1) *Sess. XIV. de Sacr. extr. Unct. Cap.* 1.
(2) *Cap. cit.*

Dominus quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum, et tactum deliquisti » Deinde si adhuc supervivat, repetantur Unctiones singulorum sensuum, et addantur Orationes praetermissae.

3. Effectus, seu fructus hujus Sacramenti ex Jac. (1), et Conc. Trid. (2), multi numerantur. At ejusdem Concilii Cathechismus (3) quinque recenset, et I. remittit *peccata leviora*, et quae nomine communi *venialia* appellantur: exitiales enim culpae Poenitentiae Sacramento tolluntur, et quamvis S. Jacobus simpliciter dicat « *Si in peccatis sit* . . . . ut diximus, et forma hujus Sacramenti est « *quidquid deliquisti* . . . . tamen cum Angelico Doctore intelligi possunt mortalia inculpabiliter non remissa per priora Sacramenta, vel commissa post illa, si ingnorentur; ac proinde verum est, quod hoc Sacramentum non primario loco ad graviorum criminum remissionem est institutum, sed Baptismus tantum, et Poenitentia vi sua hoc efficiunt. II. Liberat animam a languore, et infirmitate, quam ex peccato contraxit. III. Efficit, ut laeto animo Domini adventus expectetur. IV. Allevat, et erigit aegrotantium animum spe Divinae Bonitatis eo potissimum tempore necessaria. V. Corporis sanitatem, dum haec animae saluti non adversatur, restituit. Hinc patet hujus Sacramenti necessitas, ita ut omnes Fideles ex praecepto Divino, et Ecclesiae in infirmitatibus Oleo Sancto inungi debent. Et sub gravibus poenis caveant Parochi, ne segnes sint in administratione hujus Sacramenti, sed quacumque hora, sive diu, sive noctu vocati fuerint, et etiam non vocati, quoties alicujus periculosa

(1) *Cap.* 5.
(2) *Sess. XIV. c.* 2. *de effec. hujus Sacram.*
(3) *Part.* 2 *§.* 14.

decumbentis infirmitas innotescant, nec temporis injuria, nec viarum asperitate, aut longitudine terreantur. Priusquam ab Ecclesia discedant, infirmi domum adituri, campanae sonum particularem per Sacristam dari mandent, ut Fideles pietate ducti, Orationibus Dei Misericordiam pro laborantibus in extremis implorent.

4. Ministrandum ergo est iis, qui versantur in periculo mortis, sive ex morbo, sive ex vulnere, vel senectute, quia semper verificatur ministrari infirmis; item pueris sufficientem rationis usum habentibus ad peccandum, etiamsi Ss. Eucharistiam nondum receperint; necnon diuturna phrenesi, amentia, delirio laborantibus, modo absit periculum irreverentiae. At non est administrandum infantibus, quia nondum per sensus peccaverunt; neque excommunicatis, et publicis peccatoribus, nisi constet de Poenitentia; neque reis ultimo supplicio afficiendis; nec puerperis de futuro discrimine sollicitis.

5. Minister hujus Sacramenti est solus Parochus: si alius Sacerdos sine ejus licentia, et extra necessitatem ministret, graviter peccat, et Sacerdos Religiosus incurrit excomunicationem latae sententiae, et Sedi Apostolicae reservatam (1). Possunt tamen Regulares, ex licentia suorum Superiorum, illud ministrare suis familiaribus, etiamsi saecularibus ex Constit. Clem. X.; itemque ordinarii Confessarii Monialibus periculose infirmis.

6. Parochus Superpelliceo, et Stola violacea indutus, Vasculum Sacri Olei Infirmorum serica bursa etiam violacei coloris inclusum, et sericis chordulis collo appensum gestabit, et capite tecto cum bireto, vel pileo usuali, si tempore incom-

(1) *Clementin. De Privileg.*

modo longius sit eundum, vultu ad modestiam composito, Psalmos, vel Preces depressa voce recitabit. Crucifixi Imaginem, lumen, Aquam benedictam, et Rituale Romanum ab uno saltem comitante Clerico, portari jubebit; et hujusmodi ritus stricte observentur, nisi urgentissima necessitas aliter fieri compellat. Praemittantur semper, si vis morbi patiatur, Sacramenta Poenitentiae, et Eucharistiae; secus ad actus contritionis, Fidei, Spei, et Charitatis excitetur aegrotus.

7. In eadem infirmitate, licet pluries ingravescente, reiterari non potest. At juxta Angelicum Doctorem diu durante eadem infirmitate, cum aeger evadat e proximo periculo mortis, Sacramentum reiterari non poterit. Qui vero convaluerit, ac denuo vita periclitetur, hoc Sacramento denuo muniatur, cum sit iterabile, ex Trid. (1); quia non imprimit characterem.

8. Oleum Infirmorum (necnon Cathecumenorum, et Chrismatis) in fenestrella ad latus Presbyterii, panno violaceo exornata, sera, et clave munita, exteriori epigraphe *Olea Sacra* supèr Ostiolo incisa, vel depicta, custodiantur in Vasis, ex praescripto Ritualis Romani, argenteis, aut staneis. Quod si aliquando contingerit teneri in domo Parochi, vel Sacerdotis timentis noctu ad aegrum vocari, caute, et honorifice asserventur in loco tuto, et decenti. Denique Parochus, vel Sacerdos in cubiculo infirmi super Mensam decenter praeparatam vas reponat, Preces, et Coeremonias a Rituali Romano praescriptas, et Sacram Unctionem devotissime persolvet; et gosypii, seu bombacii globulos, quibus absterserit, secum deferet, comburat, et cineres in Ecclesiae Sacrario projiciat.

---

(1) *Sess. XIV. c.* 3.

APPENDIX

DE SEPULTURIS, FUNERIBUS, ET EXEQUIIS.

Quae ad funera, exequias, ac sepulturas pertinent, non semper recte fiunt, et quibusdam abusibus non raro sunt obnoxia. Ut autem Fidelibus defunctis debita pietatis officia, juxta Catholicae Ecclesiae ritum persolvantur, sequentia statuimus.

1. Parochi non debent ignorare, quinam Ecclesiastica sepultura sunt indigni (1); nec quemquam ad illam contra Sacrorum Canonum Decreta unquam admittant sub poena excommunicationis latae sententiae. Et quoniam Ecclesiastica sepoltura pars est Christianae communionis, quae etiam post mortem manet, ea negatur Judaeis, Infidelibus, Haereticis, eorumque fautoribus, Apostatis a fide Christiana, scismaticis, publice excommunicatis, nominatim Interdictis, se ipsos occidentibus ob desperationem (dummodo fuerint sanae mentis), vel iracundiam, morientibus in duello, manifestis, et publicis Peccatoribus, qui sine poenitentia decesserint, in Paschate non confessis, et Angelico Pane non refectis, denique Infantibus absque Baptismo mortuis: in aliquo casu dubio Episcopus consulatur.

2. Defunctorum cadavera extra domum nemo efferre praesumat, nisi accersito Parocho, qui illa sive per se, sive per alium a se deputatum aqua benedicta aspergat. Exequiae interdiu, et numquam de nocte fiant, nempe non ante ortum, nec post

---

(1) *Ritual. Rom. de Exeq.*

Solis occasum, sub poenis arbitrio Nostro reservatis. Parochi insistant, ne mulieres ululantes prosequantur funus, et cadavera suorum consanguineorum ad sepulturam, ne Officia Divina, et Missa perturbentur; ideoque per eos moneantur, se domi retinere, ac animas potius Deo commendare, et Orationibus juvare.

3. Ii, qui funeri interesse debent, constituto tempore, quo corpus ad Ecclesiam deferendum est, sive Cathedralem, sive ad alias Ecclesias Civitatis, in qua corpus tradi sepulturae debet, conveniant, ordine non interrupto, et numquam per vias cum populi admiratione, et cum quodam Sacri Ritus dedecore incedant. Hoc idem in Dioecesi servari mandamus. Defunctorum Cadavera sunt deferenda sub unica tantum Cruce, et debet esse illius Ecclesiae, ad quam Corpus defuncti defertur; dummodo non interveniat Capitulum Cathedralis; tunc enim sub illius Cruce omnes funus associantes incedere debent, ut ex Cl. Praedecessoris Nostri Ciantes Synodo, die 27, et 28 Mensis Septembris anno Domini 1643; quae omnia habentur ex S. R. Cong. in Andrien 22 Nov. 1631; ac etiam ut Officium in Ecclesia, praesente Cadavere, fieri debeat per Sacerdotem illius Ecclesiae, in qua Cadaver defertur. Praeeant Piae Sodalitates Regio Placito munitae, juxta Earum antiquitatem, cum vestibus suorum coetuum propriis, nec umquam accedant, nisi vocatae (1): sequatur has Clerus Regularis, inde Saecularis: omnes veste talari, Canonici vero Rocheto, et Cappa, vel Almutia sint ornati: reliqui Superpelliceo, aut Rochelo induti, aut suis Insignibus, si quae habeant;

---

(1) *Sac. Cong. Rit.* 9. *Dec.* 1617.

bini prodibunt, et Psalmos devote, distincte, gravique voce recitantes usque ad Ecclesiam.

4. Parochi, vel ii ad quos de jure, vel legitima consuetudine spectat, praecipiant qua via asportandum sit cadaver, quae quidem et commodior semper sit, et brevior (1).

5. Pauperes et Personae ita miserabiles, ut propriis sumptibus sepeliri nequeant, a Parochis humaniter, et omni, qua decet charitate humentur; ut etiam in praelaudata Nostri Praedecessoris Synodo mandatur ad omnem avaritiae suspicionem eludendam. At si aliter fiat, et quaerimoniae Nostras aures pulsaverint, in eos pro Nostro arbitrio graviter animadvertemus. Vestes Clericis vita functis sint Clericales, et quidem propriae illius Ordinis in quo viventes fuerunt constituti, ut ex Rit. Rom. (2), et observentur alia ibi praescripta. Mandamus sub poenis acriter Nostro arbitrio injungendis, omnibus Clericis, Capitulis, et aliis quibuscumque, qui quavis ratione tenentur, ut debita defunctis anniversaria, Missas, aliaque pia suffragia persolvant, et ne Clerici Episcoporum, aliorumque Sacerdotum Religionis in suos filios immemores videantur. Volumus ut prima die post Commemorationem omnium Fidelium defunctorum, omnes Clerici suis in Ecclesiis Parochialibus Anniversarium pro defunctis Episcopis Marsicensis Ecclesiae celebrent: alia vero subsequenti die, aliud pro aliis majoribus Sacerdotibus, et Clericis propriae cujuscumque Ecclesiae persolvant, ut quos in terris venerati sunt, eos oblationibus, ac pre-

(1) *Sac. Cong. Epis. et Regul.* 11 *Dec.* 1615.
(2) *De Exeq. Sacer. et seq.*

cibus suis ab igne Purgatorii liberent, et eruant.

6. Caveant omnino Parochi, uti Ritual. Rom. praescribit, aliique Sacerdotes ne pro sepultura, et exequiis, aut anniversariis mortuorum quidquam paciscantur, aut tamquam pretium exigant, ac contenti sint iis, quae aut Episcopus constituerit, aut probata consuetudine dari solent. Pallia, et quae Altaria exornare solent, ad ornamentum feretri numquam adhibeantur.

7. Cerei sint accensi in exequiis, et funeribus, ne avaritia, aut indignitas praevaleant. In exequiis servetur ordo juxta praelaudatum Rit. Rom. (2), ac antequam cadaver efferatur; dum effertur, et in ingressu Ecclesiae Psalmi, et Responsoria dicantur, ut in eodem Rit. Rom. sancitum est, et deposito feretro, tunc, et non in itinere incipiatur absolute Invitatorium « *Regem cui omnia vivunt*.

8. Sepulturae infra terram, et deposita, seu cadaverum conditoria in tumbis profundis sunt collocanda, et eorum operimenta aequalia debent esse cum solo Ecclesiae. Ita ex Conc. Mediol. I. (3), et S. Pius V. praescribit « *Ut in Ecclesiis nihil indecens relinquatur, iidem h. e. Ordinarii provideant, ut capsae omnes, et deposita, seu alia cadaverum conditoria super terram existentia omnino amoveantur, prout alibi statutum fuit, et defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur* ». Hoc idem Nos stricte statuimus.

9. Non debent Ecclesiae fodi, aut excavari pro sepultura; sed in sepulturis, sive tumbis profun-

(1) *De Exeq. §. deposito feretro.*
(2) *Part. 2 Tit. de sepul.*

dis infra terram Christianorum cadavera sepeliri. Ita Sac. Cong. Ep. et Reg. (1), quod sub poena suspensionis prohibemus.

CAPUT VIII.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

1. Nulla sors in terris felicior est, quam in Sortem Domini vocari. Sacerdos Angelorum celsitudinem supergressus, *ex hominibus assumptus*, inquit Ap. ad Hebraeos (2) *pro hominibus constit tuitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offera-dona, et Sacrificia pro peccatis*. At ad hanc altissimam Sacerdotii dignitatem nonnisi per ordinatissimos gradus ascenditur. Quamvis autem, ut habetur in Cathechismo, omni tempore summam dignitatem obtinuerit, tamen Novi Testamenti Sacerdotes caeteris omnibus honore longe antecellunt (3). Potestas enim tum corpus, et Sanguinem Domini nostri conficiendi, et offerendi, tum peccata remittendi illis collata est, et alia Ecclesiastica Ministeria ad eam aliquo modo spectantia, rite obeunda. Hujus Sacramenti materia est Manuum impositio, et Instrumentorum traditio. Forma vero est Oratio. Apostoli enim Ecclesiae usu constanti, ac perpetuo in Sacris Ordinibus perficiendis adhibuerunt impositionem Manuum tamquam materiam, et Orationem tamquam formam. Et revera de Sacerdotibus, et Diaconis di-

(1) 23 *Julii* 1603.
(2) *Cap. V. v.* 1.
(3) *Part.* 2 §. 2 *de Sacr. Ord.*

citur (1) : « *hos statuerunt ante conspectum Apostolorum , et orantes imposuerunt eis manus* ». In aliis Ordinibus vero forma sunt Episcopi verba in traditione materiae cujusque Ordinis propriae.

2. Sacramenti Ordinis praecipui effectus sunt. I. Quod sanctificat animam ejus, qui sacris initiatur, et ideo idoneus, habilisque ad recte munere suo fungendum, Sacramentaque administranda redditur. II. Quod tribuat praecipuam potestatem, quae ad Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum refertur; nempe ad offerendum Domino Novi Testamenti Sacrificium, et ad peccata remittenda. III. Quod imprimat Characterem (sicut in Baptismo, et Confirmatione) ita, ut qui Sacris sunt imbuti, interiori quadam nota animae impressa ab aliis Fidelibus distinguantur, ac divino cultui mancipentur. Ita ex Cathec. Rom. (2).

3. In Sacris Ordinationibus igitur minutim perpendamus, num a Deo ad Statum Ecclesiasticum vocentur, dicente Apostolo (3) « *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron :* nam qui in Sacrum Ministerium se ipsos temere ingerunt, atque intrudunt, ipsi sunt, de quibus Deus apud Hierem. (4) dixit « *Non mittebam Prophetas, et ipsi currebant* » quo quidem hominum genere nihil infelicius, ac miserius, nihil Ecclesiae calamitosius esse potest. Signa autem Divinae vocationis sunt. I. *Ad statum Ecclesiasticum vocari* a proprio Episcopo, nam apud Math. (5) « *Voca operarios*

---

(1) *Cap. VI. v. 6. Act.*
(2) *Part. II. de Ord. num. ult.*
(3) *Ad Hebr. C. V. v. 4.*
(4) *Cap. 73 v. 21.*
(5) *Cap. 20 v. 8.*

dixit Dominus, *vineae procuratori* ». II. *Propensio ad Clericalem Militiam*, quam ipse Deus animo ingerit, vel a teneris annis, vel procedente aetate. III. *Intentio recta*, seu honestus finis, ob quem aliquis ad Sacram Ordinationem accedit, nempe Dei gloriam, et salutem Proximi quaerendi; at si eum rapiat ambitio, invitet avaritia, si mollis, et otiosa vita forte alliciat, si domesticae curae impatientia traducat, Divinam deesse Vocationem, evidentissima sunt argumenta; et hi sunt, quos Salvator Noster apud Joan. (1) *mercenarius* appellat, et quos Ezechiel dicebat (2) *semetipsos*, *et non oves pascere*. IV. *Constans amor in officiis Clericis* propriis, ac in aliis sacris functionibus. V. *Si praeditus sit virtutibus*, quibus virum Ecclesiasticum, praesertim Diaconum, et Presbyterum imbutos esse oportet, de quibus loquitur Apostolus (3), vel saltem aliquibus earum peculiari flagrat desiderio, veluti charitate erga Proximum, Divinae gloriae zelo, divitiarum contemptu, castitate, litterarum studio . . . hinc scientia ejus probari debet praevio examine coram Nobis, et Nostris Examinatoribus instituendo pro ratione Ordinis, ad quem est promovendus; et qui agresti experitur ingenio, et litterarum ignarus et incapax, rejicitur. Ita Conc. Toletanum VIII. (4) « *Nullus ad Sacra mysteria tractanda veniat indoctus*, *aut ignorantiae tenebris caecutiens*, *sed quem morum innocentia*, *et litterarum splendor reddunt illustrem* » Qualis autem ad singulos Ordines requiratur scientia, colligi

---

(1) *Cap*. *X*. *v*. 12.
(2) *Cap*. 34 *v*. 8.
(3) *Ad Tit*. *c*. 1 *v*. 5. *Et* 1 *ad Tim*. *c*. 3. *v*. 8.
(4) *Can*. 8.

potest ex Trid. (1). At certe in Sacerdotibus major requiritur, quam in aliis, ut docet laudata Synodus in cit. Sess. (2), et paulo uberius explicatur a Catech. Rom. (3). At praesertim scire tenentur Sanctas Scripturas, et Sacros Canones, unde Dogmatum habeatur plena cognitio, unde apta concionibus eruatur materies, unde regulae pro componendis moribus, et pro curandis Animarum morbis hauriantur.

4. In Sacris item Ordinationibus habendis Nobis erit cordi monitum Apostoli (4) « *Nemini cito manus* esse imponendas, et quid est ita manus imponere? *Nisi ante aetatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experimentum disciplinae Sacerdotalem honorem tribuere non probatis*, inquit S. Leo (5). Hinc quoties habenda erit Ordinatio, fiet Edictum, et nullus ad Ordines Sacros promovebitur, nisi prius constet esse in aetate, quam praescribit Conc. Trid. (6). Interstitia a Canonibus, et a laudata Synodo inter unum, et alium Ordinem praescripta, servabimus; nam istituta sunt, tum ut qui Ordine aliquo initiatus est, ipsius dignitatem, officia, pondus cognoscat frequenti ipsius functionum exercitio; tum ut animum Ecclesiasticum imbibat, et ad Ecclesiae regulas, et mores se componat; tum denique ut longo virtutum usu probetur, nisi aliud Nobis magis expedire aliquando videbitur.

---

(1) *Sess. XXIII. c.* 4 5 11 12 13 14.
(2) *Cap. XIV.*
(3) *Part.* 2 *de Sacram. Ord. num.* 32.
(4) *I. ad Tim. cap.* 22.
(5) *Ep.* 1.
(6) *Sess. XXIII c.* 12.

5. Nemo habitum Clericalem deferre audeat sine Nostra licentia in scriptis, quam nulli adolescenti concedemus, nisi unum ex Nostris Seminariis ingrediatur, ut religiose educari, et disciplinis Ecclesiasticis instrui possit, et in eo permansurus quousque Nobis videbitur, nisi Ecclesiae necessitas aliud expostulet.

6. Qui Militiae Ecclesiasticae per *Clericalem Tonsuram* nomen dare declaraverit, legitimam certificationem Baptismi, Confirmationis, probitatis morum, servitii per triennium praestiti, frequentiae doctrinae Christianae, necnon Sacramentorum Poenitentiae, et Eucharistiae saltem bis in mense, exhibebit. Solerter perscrutabimus, an vi, aut blanditiis parentum, aliove terreno affectu, an potius amore Dei hoc vitae genus elegerit, experiemur, an fidei rudimentis sit edoctus, atque ad necessarias scientias addiscendas idoneus. At ne ejus promotio fiat sine titulo, per Nostram Curiam sedulo expendetur, si provisus sit Patrimonio, aut Beneficio, aliave Pensione sufficienti, ut ad titulum Patrimonii, juxta Tridentinum, promoveri possit.

7. Qui ad *Minores Ordines* est assumendus, examinandus erit coram Nobis, Nostrisque Examinatoribus, an linguam Latinam intelligat, an humaniores litteras, artemque Rhetoricam didicerit, et sciat ea, quae omnino sunt necessaria relate ad Ordinem, ad quem optat promoveri. Dehinc Litteras testimoniales exhibeat de Tonsura, vel de ultimo minore Ordine suscepto, si adhuc sit in Seminario, bonum testimonium habeat a Rectore de disciplina diligenter servata, et si fideliter omnes Religionis actus in Sacro Loco statutos adimpleverit; si vero e Seminario, Nobis annuentibus, exierit, illud habeat a Parocho,

seu Archipresbytero de bona vita, fama, ac moribus; de habitu talari cum capillis modeste tonsis semper delato, de Ecclesiae servitio exacte praestito; de Confessione, et Communione saltem bis in mense, praeter dies Festos Solemniores. Praeterea ejus nomen, et desiderium ter in Parochiali Ecclesia die Festo inter Missarum solemnia, populo ad Divina congregato, denuncietur, et peractis denunciationibus idem Archipresbyter certificationem faciet, nullum Canonicum impedimentum fuisse allatum. Non dissimili modo Vicarius Foraneus privatim personas fide dignas super promovendi vita, fama, et moribus diligenter interroget, et Nos faciat certiores, an aliquod Canonicum impedimentum, vel defectus innotescat. Certificationem denique exhibeat, Spiritualia Exercitia per dies decem peragisse in Venerabili Seminario, vel in alio Sacro loco a Nobis designato.

8. Qui *Sacro Subdiaconatus Ordine* initiandus erit ad titulum Patrimonii, praeter supra dicta exhibere debet sententiam Tribunalis Civilis hujus Provinciae cum suis solemnibus, ut constet bona immobilia assignata esse libera, et in possessione Promovendi, quae sententia ad futuram cautelam remanere debet in Cancelleria Nostrae Episcopalis Curiae, et ex qua semper appareat annuos reditus esse ad normam art. XXI. Conventionis inter Pium VII., et Ferdinandum I. felicis recordationis sub Anno 1818. Accuratum fiat periculum de scientia in materiis Moralibus, et Dogmaticis infra describendis pro Ordine, ad quem quisque petierit promoveri.

9. Qui *ad Sacrum Diaconatus*, *vel Presbyteratus Ordinem* erit initiandus, supradictis requisitis addat certificationem de pacifica possessione Patrimonii, de Sacramentorum frequentia in qua-

que hebdomoda, et de exercito officio Ordinis prioris.

10. Nemo per interpositas Personas, aut per litteras commendatitias ad sui promotionem praesidium quaerere tentet, et si quis ausus fuerit, eum omnino indignum declaramus; nam moribus tantum, et scientia, aliisque requisitis se commendabilem reddere studeat. Ut autem haec omnia recte fiant, summatim elenchum requisitorum subnectimus.

11. Quoad scientiam, quae pro majoribus Ordinibus sit requirenda, statuimus, ut nemo assumatur, nisi spes majoris scientiae, quae ad Sacerdotium requiritur, affulgeat, Theologiae Dogmaticae, ac Moralis aliquibus sit Tractatibus instructus; ita ut in Sacerdotio integra ejusdem scientiae, saltem Moralis, Instituta exponat; ut idoneus sit ad Sacramenta ministranda, et ea ad Populum docendum, quae scire omnibus pertinet ad salutem, dicente Domino (1) « *Labia Sacerdotis custodient scientiam, et Legem de ore ejus requirent* » ut Impius in impietate sua non pereat, sed convertatur, et vivat.

(1) *Malach. Cap. II. v. 7.*

ELENCHUS REQUISITORUM.



PRO TONSURA,

Et ordinibus minoribus exhibeantur.

1. Certificatio trium Denunciationum emissarum in Matrici Ecclesia.
2. - - - - - Aetatis, seu Baptismi, uti in libro Renatorum jacet.
3. - - - - - Confirmationis susceptae.
4. - - - - - De vita, fama, et moribus: de continuo incessu in habitu talari: de frequentia Sacramentorum.
5. - - - - - De Patrimonii, aut Beneficii provisione, ne sine titulo promoveatur.
6. Rescriptum admissionis ad Ecclesiae servitium, ut de Triennio jam expléto constet.
7. Certificatio de Puerorum instructione circa fidei rudimenta in diebus Festis, ac in Adventus, et Quadragesimae tempore.
8. - - - - - De Spiritualibus Exercitiis devote peractis per decem dies.



PRO SACRO SUBDIACONATUS ORDINE EXHIBEANTUR.

1. Certificatio }
2. - - - - - }
» - - - - - } ut pro Ordinibus Minoribus.
4. - - - - - }

5. Exemplar Litterarum Testimonialium, seu Bullae, ex qua certum tempus ultimae promotionis appareat.
6. Sententia Tribunalis Civilis Provinciae de Patrimonio jam legitime constituto.
7. Certificatio de Spiritualibus Exercitiis per decem dies peractis.



PRO SACRO DIACONATUS, ET PRESBYTERATUS ORDINE.

1. Certificatio }
2. - - - - - }
« - - - - - } ut pro Subdiaconatu.
4. - - - - - }
5. - - - - - }
6. - - - - - Super pacifica possessione bonorum Sacri Patrimonii.
7. - - - - - De exercitio Ordinis anterioris.
8. - - - - - De Spiritualibus Exercitiis per decem dies peractis.

CAPUT IX.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

1. Sanctum matrimonii vinculum a Deo ipso ad humani generis propagationem institutum, est individua societas, quam masculus, et foemina procreandae, et educandae sobolis, et mutui praesidii causa ineunt. Hoc indissolubili vinculo duos tantummodo copulari, et conjungi, Christus Dominus aperte docuit, cum apud Math. inquit (1) « *Itaque jam non sunt duo, sed una caro, et quod Deus conjunxit, homo non separet;* et hujusmodi societatem, seu contractum ad rationem Sacramenti evexit, immo magnum Sacramentum appellatur ab Apost. ad Ephes. (2), quia unionem inter Christum, et Ecclesiam significat.

2. Parochus, seu Archipresbyter admonitus de aliquo Matrimonio in propria Parochia contrahendo, ante denunciationes, utriusque Sponsi voluntatem, mutuique consensus libertatem scrutetur, ut deleta cujusque violentiae suspicione, sponte, libere, nullisque minis, aut dolo, sed secundum honestatem Sacramenti contrahant. Inquirat, an sint in aetate per Codicem Civilem praescripta; an in doctrinae Christianae rudimentis sint sufficienter instructi, an necessaria fidei mysteria calleant; quae si ignoraverint, matrimonium differat, donec ea recte didicerint, quae dehinc filios suos docere debebunt.

3. Ad Ipsius celebrationem omnino praemittat tres denunciationes a Sacris Canonibus praescriptas,

(1) *Cap. XIX. v.* 6.
(2) *Cap. V. v.* 32.

ad impedimenta, si qua sint inter sponsos, facilius detegenda, nec quavis ex causa omittat absque Nostra vel Curiae Nostrae speciali in scriptis dispensatione (1). Fieri debent in propria Parochia, et in utraque, si sponsi sint diversae Parochiae, inter Missarum Solemnia in tribus diebus festis continuis, ita tamen, ut aliquod sit intervallum, et numquam in postremae denunciationis die celebretur matrimonium, nisi aliqua specialis causa urgeat, ne quis forte impedimentum delaturus, temporis angustiis excludatur. Si vero aliquod impedimentum sive certum, sive dubium deferatur, ulterius non procedat, sed statim Nos, vel Nostram Curiam faciat certiorem, ut ab impedimento, si vere sit, obtineatur dispensatio. Si tamen infra duos menses post denunciationes Matrimonium non celebretur, repetantur, nisi aliter Nobis videbitur (2).

4. Post sponsalia, sed ante Matrimonium, omnino inter contrahentes impediat cohabitationem, commercia, et conversationem, ne Matrimonii Sanctitas aliqua turpitudine denigretur. Ad hoc grave scelus eliminandum hujusmodi casum dedita opera Nobis reservavimus cum excommunicatione ferendae sententiae.

5. Matrimonium autem non celebretur, nisi legittime constet de Civili adimpleto contractu; necnon praemissis Poenitentiae, et Eucharistiae Sacramentis: non alibi, nisi in Ecclesia, quae Sacramentorum proprius locus est, ut ex Trid. (3), Sacerdotali benedictione adhibita, et coram duobus saltem testibus; mane, non tamen ante solis ortum, nec post meridiem, et ea, qua decet

(1) *Trid. Sess. XXIV in Dec. de Ref. Mat. c. 1.*
(2) *Rit. Rom. de Sacr. Matr.*
(3) *Sess. XXIV. cit.*

modestia, et honestate, quia res sancta est Matrimonium, sancteque tractandum: nec denique in temporibus ab eodem Trid. prohibitis (1), nempe a Dominica I. Adventus Domini Nostri Jesu Christi usque ad diem Epiphaniae; et a feria 4 Cinerum usque ad Octavam Paschatis inclusive, nisi Nostra accedat licentia.

6. Parochus habeat librum, in quo ad mentem ejusdem Concilii conjugum, et testium nomina, necnon diem contracti Matrimonii describat, juxta formulam in fine Rit. Rom. appositam, et quem diligenter custodiat.

7. Denique Parochus, vel Confessarius, quando post Matrimonium rite celebratum denuncietur aliquod impedimentum, quod occultum remansit, non sit facilis ad illud manifestandum per publicam separationem Conjugum, sed prudenter se gerat, juxta Doctorum sanam doctrinam, Episcopum adeat, ut Romae scribat Majori Poenitentiario pro opportuna facultate.

8. Ut autem conformia sint, et completa requisita, quae pro Matrimonii celebratione ad Nostram Curiam remittuntur, elenchum subnectimus.

1. Certificatio trium denunciationum cum indicatione dierum Festorum, in quibus factae fuerint, nullumque Canonicum impedimentum supervenisse.
2. - - - - - Mutui, et liberi consensus Sponsorum.
3. - - - - - Aetatis, seu Baptismi eorumdem, uti jacet in Renatorum libro. In Viduis vero addatur annotatio de morte Conjugis, uti ex defunctorum Libro habetur.

---

(1) *In cit. Sess. c. 10.*

4. Certificatio de necessaria instructione in Christianae Fidei rudimentis.
5. - - - - - De actis per Legem Civilem praescriptis ad amussim impletis.

Ut vero de Sponsorum statu libero magis magisque constet, per Admodum Reverendum Vic. For. infrascripta acta ex consuetudine fiant.

1. Certificatio de examine cum juramento duorum testium fide dignorum, an Sponsi contraxerint alia sponsalia, vel matrimonium: an inter eos adsit aliquod Canonicum impedimentum: an emiserint Votum castitatis, vel religionis: an discesserint a Patria; et quatenus ita, in quo Mense, et Anno.
2. - - - - - De libera voluntate in Matrimonio contrahendo videlicet, quod Sponsus nec fuit coactus, nec coegit.
3. - - - - - Si super aliquo Matrimonii impedimento obtenta sit Apostolica Dispensatio Reg. Exq. munita, fiat expositorum verificatio per Testes probos, et fide dignos.

APPENDIX

DE CONCUBINARIIS.

Grave peccatum est, homines solutos concubinas habere, inquiunt Patres Trid. (1); nam ab ipsomet Deo per Job (2) haec foedissima impudicitia appellatur *NEFAS, ET INIQUITAS MAXIMA*. Hinc poenas contra hujusmodi obstinatos

(1) *Sess. XXIV. c.* 8 *de Refor. Matr.*
(2) *Cap.* 31 *v.* 11.

Peccatores a Sacris Canonibus, et a laudato Concilio irrogatas in hac Nostra Synodo innovamus.

1. Praecipimus omnibus, et singulis Confessariis, etiamsi plenissimam a Nobis obtinuerint Facultatem absolvendi a quibusvis Casibus, et Censuris, hujusmodi nequissimos homines viventes in concubinatu, exitiosa peste huc illuc discurrente, nullo praetextu absolvere, quamvis emendationem vitae simulent, nisi de eorum resipiscentia plane constet, et impudicas mulieres a se omnino dimiserint, et nisi prius populum a se scandalis offensum per tempus congruum aedificaverint.

2. Hoc idem statuimus in illos pertinaces Peccatores, qui licet non sint in concubinatu, tamen sunt adeo consuetudinarii, ut se nolint refraenare, quod accidit in Meretricibus continuo paratis ad quaestum de corpore suo. Hujusmodi mulieres, nisi ex corde convertantur, et proximas peccandi occasiones sustulerint, incapaces erunt absolutionis.

3. Parochi autem, si quos (quod Deus non faxit) tam solutos, quam uxoratos, in concubinatu, vitam ducere conspexerint, omnibus adhortationibus in primis ad purae vitae studium revocare laborent. Sin autem admonitione posthabita, in peccato detestabili perseveraverint adhuc, Nobis id deferatur, ad opportuna remedia capessenda, ne alios innocentes suo exemplo inficiant. Idcirco omnibus Parochis, praecipimus, ut saltem bis in anno per Epistolas, vel oretenus ad Nos, vel Nostrum Vicarium Generalem deferant quoscumque tali peste infectos in suis Parochiis invenerint, ut Paternis, ac aptioribus remediis, et etiam, si opus sit, invocato Brachio Saeculari, a perditionis via ad salutis tramitem reducantur.

SESSIO III.

DIE 10 SEPTEMBRIS MDCCCXXXIV.

CAPUT I.

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORUM.

Tamquam lucernas super candelabrum Clericos in sua Ecclesia posuit Dominus, ut luceant coram hominibus, qui eorum opera bona videntes, Patrem, qui in Coelis est, laudent, atque glorificent. Caveant ergo Ecclesiastici Nostri, ne lumen, quod in se habent, tenebrae sint, neve potius vitiis, quam virtutibus conspicui, praeter suam damnationem, sint aliis offendiculum, et ruina. Nec sufficit quemlibet sui Ordinis nudum munus exercere, sed oportet, ut suo gradu vitam ducat dignam, et omnino se abstineat ab iis, quae vel notam aliquam Sacerdotio inurunt, vel a Sacro Ministerio distrahunt. Clericorum vita debet esse Sancta, et in omnibus actionibus ad imitationem Christi capitis nihil nisi Sanctum exhibeat. Tale enim est Ministerium Ecclesiasticum, ut in ministrantibus Angelica puritas requiratur, et exemplo suo aliis praelucere debent. Ut vero eorum vita sit conformis Sacris praesertim Canonibus, haec duximus statuenda.

1. Sub poena suspensionis ipso facto incurrenda prohibemus omnes, ludos, qui ab ancipiti fortunae eventu dependent, quoniam sunt foecundissima criminum Seminaria. Ex iis namque oriuntur contumeliosa in res divinas dicta, mendacia, im-

precationes, fraudes, jurgia, temporis dispendia, et rei familiaris ruina; quapropter Canones Apostolici Clericos aleis vacantes edicunt deponendos. Eadem poena afficiantur exercentes ludos, quamvis licitos, in Plateis, vel in alio publico Loco.

2. Sub poenis Nostro arbitrio reservatis omnes Ecclesiastici a crapula, et ebrietatibus debent abstinere. Laudati enim Canones ebrietatibus vacantes deponi jubent. Et Agathense Concilium ebrios Clericos triginta dierum spatio a communione removet; et hac de causa vetantur tabernas intrare, nisi in itinere, necessitatis causa.

3. Sub poena suspensionis a celebratione missae per X. dies incurrendae, vetatur Sacerdotibus interesse theatris, quia ad peccandum retinent illecebras, vel saltem cum innocentia, et castis moribus non bene conveniunt. Hinc non immerito leges Civiles ab hujusmodi insaniis, tamquam Clericum vocationi non convenientibus procul abesse jubent, et ipse Justinianus Clericos theatris praesentes a Sacra Liturgia ab Episcopo removeri, et Canonicae poenitentiae subdi praecipit, immo deponi, si post Excommunicationem in vitio perseverent. Reliqui vero Ecclesiastici in Sacris, vel in Minoribus Ordinibus constituti per mensem Spiritualia peragent Exercitia in Conventu strictioris observantiae a Nobis designando, et in contumacia rigidioribus plectentur poenis.

4. A negotiis saecularibus pariter abstinere se debent Clerici. Inquit enim Apostolus (1) « *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus, ut placeat ei, cui se probavit* ». Hinc eorum instituto non convenit negotiatio lucri causa. Et Canones in Conciliis Arelat. II., et Carthag. III.

(1) *II. ad Timoth. cap.* 11 *v.* 4.

vetant eos turpis lucri gratia, aliquod genus negotiationis exercere; hinc indignum sane est, alienas possessiones, maxime Ecclesiasticas, sive per se, sive per alios conducere, nam qui negotiationibus quaestum facit, praeter turpem avaritiae maculam, a Sacro Altaris ministerio certe se distrahit, quod a Nobis sub poenis arbitrariis prohibetur. Usuras, si quae fiant, aperte proscribimus, et damnamus.

5. Non absimili modo interdicta remanet venatio, quae praeter distractionem ab Altaris ministerio, morum duritiem instillat, et Nos vix in aliquibus casibus solummodo salutis recuperandae causa indulgebimus, ut venationi non clamorosae vacari possit; clamorosa vero numquam a Sacris Canonibus permittitur. Munus quoque Advocati Clericorum vocationi non congruit, et Nos sub arbitrariis poenis vetamus, quia totum hominem requirit, et ab Altaris Ministerio magis magisque distrahit, hinc occupantur ad alia, quam ad populi instructionem, et ad assiduam salutis praedicationem, ad quae Sacerdotum vita debet esse intenta. Hac de causa in Conc. Generale Later. III. (1) statutum fuit, ut majores Clerici, et qui stipendiis Ecclesiasticis vivunt « *Coram Saeculari Judice Advocati in negotiis Saecularibus fieri non praesumant, nisi propriam causam, vel Ecclesiae suae fuerint prosecuti, aut pro miserabilibus forte personis, quae proprias causas administrare non possunt* ».

6. In Conc. Rom. sub Inoc. II., a Chirurgia interdicuntur Clerici, ne forte mortis causam praebentes a Canone sint alieni.

7. Quum familiaritatem, et cohabitationem mulierum suspectarum prorsus evitare teneantur, sub

(1) *Sub Alex. III. an.* 1179.

poenis in Sacrosancto Concilio Tridentino contentis, sciant, mulieres suspectas censeri omnes practer eas, quarum consuetudo a Jure permittitur. Itaque Clerici hujusmodi mulieres omnino declinent sub iisdem poenis. Hinc sine speciali Nostra licentia in scriptis Ancillas non retineant, de quarum tamen bona fama, et aetate provecta etiam a fide dignis Testibus relatio habeatur.

8. Clerici assiduo Ecclesiis serviant, quibus destinati sunt, et praecipue diebus Festis; quotidie Missam audiant, et qualibet Tertia Mensis Dominica in Missa Solemni de Manu Sacerdotis Celebrantis, et etiam Festis solemnioribus, Sacram Eucharistiam accipiant. In omnibus etiam morum gravitatem ostendant, praecipue in Ecclesia, ut per ipsorum exemplum Fideles ad pietatem, et Cultum erga Deum summopere excitentur. Qui vero immodeste per Ecclesiam aut discurrent, aut in Ea rixabuntur, graviter punientur.

9. Nulli liceat Rocheto uti absque speciali, quod est de Jure, Apostolico Indulto, quamvis aliqua dignitate fulciatur; et si quis audeat hoc in posterum attentare, per dies decem Spiritualia in Domo Religiosae observantiae, peragat Exercitia.

CAPUT II.

DE HABITU, ET TONSURA.

Clerici in sortem Domini vocati, etiam in externis actionibus, et corporis cultu honestatem, et decorem exprimere debent, quia in eos, tamquam in speculum reliqui oculos conjicientes, vita eorum sanctitati, et Sacro Ministerio in omnibus ad amussim respondere debet; externus enim cul-

tus cujusque mores demonstrat. Ex hoc ergo factum est, ut quamvis per quinque Saecula vestibus communibus usi sint, tamen in saeculo VI. propriis vestibus Clerici uti coeperunt, et eo colore, qui modestiam exprimeret usque ad Saeculum XIII. circiter, quando usus coloris nigri generaliter invaluit, et ad haec usque tempora servatur, et Nos praescribimus.

1. Quoties ad Ecclesiam accedunt, ut divina persolvantur Officia, aut alia Functio Sacra peragatur, Vestis sit omnino talaris, et hoc sub poena suspensionis latae sententiae. Alio vero tempore numquam ita brevis, ut infra genua non descendat, nec laicalem vestem aemuletur, et sit nigri coloris, aut nigro conformioris, quod etiam observari debet in pallio subsuto, vulgo *Cappotto*. Et quoniam non pauci sunt, qui alterius, quam praefati coloris utuntur pallio, usque dum consumptum sit, toleramus.

2. Calceamenta Clericalem gravitatem praeseferant, et semper cum fibulis, ne laicorum morem sequi videantur Clerici. Pileus sit forma Presbyterali vulgo *alla Romana*.

3. Quamvis, in primis Ecclesiae Saeculis nullum Tonsurae vestigium appareat in Clericis, cum ob persecutiones potius latere, quam se prodere expediebat; tamen ineunte saeculo VII. cum capillis tonsis, ut eorum mens ad Coelestia elevetur, dehinc in Coronae formam rasis, vel in memoriam Coronae Spineae, quae Christo fuit imposita, vel ad significandam Regiam Dignitatem ejus, qui Deo inservit, incessere. Quapropter Clerici Minores, qui ratione ordinis sui Tonsuram omnibus conspicuam non deferunt, per Nos erunt corripiendi, tamquam Altaris servitio indigni: in Sacris vero constituti graviter erunt corrigendi: et

Sacerdotes per Mensem Tonsuram non ferentes, suspensi remaneant, donec Ea sint decorati.

CAPUT III.

DE CAPITULO CATHEDRALIS ECCLESIÆ.

Per quam bonum, et jucundum cum sit Spiritus Sancti oraculo, habitare Fratres in unum, fit inde potissimum, ut qui in eamdem Domini Sortem vocati sunt in Domo Dei debeant cum consensu ambulare: et consolantissimum est, quod Christus promittit, ubi sunt duo, vel tres in nomine Ejus congregati, Illum esse in medio eorum, et simul secum capere cibum. Cum ergo Dignitates, et Canonici Cathedrali Ecclesiae addicti, ut Domino confamulentur, Ecclesiae Senatum cum Episcopo, qui in Ea Christum gerit, ut D. Gregorius ait, componant, caeteris tum de Civitate, tum de Dioecesi, quos honore praecellunt, debent mutua concordia, in Deum pietate, animarum exquisita sollicitudine, et diligentia in iis, quae Divini cultus sunt, praelucere. Et quamquam nihil sit, quod graviter, Nostros oculos offendat, aut unitatem proscindat, aut mores, et vitam obnubilet; tamen, ut ad maximam Dei gloriam pax, quam eis dedimus, dum primum ipsos per Epistolam allocuti fuimus, magis magisque confirmetur, pietas erga Deum fiat ferventior; ac odor laudabilioris famae diffundatur, nonnulla statuere proposuimus.

1. Hujusce Nostrae Cathedrae, ac Nostri Capituli antiquitas, et maximus honor, (in quo semper habita fuere a priscis Ecclesiae Saeculis, nempe Saeculo IV. procedente, et ab VIII. reparatae sa-

lutis S. JANUARII Martyris Episcopi Africani gloria decoratae, cujus Sacrum Depositum in Eadem nunc asservatur) omnino postulant, ut qui Coetum Ecclesiasticum componunt, idipsum virtute cohonestent, et ornent. Capitulum Nostrum tribus Dignitatibus, Archidiacono, qui est Prima Dignitas post Pontificalem, Primicerio uti Secunda, et Cantore, uti Tertia, necnon duodecim Canonicis inter quos Canonicus Theologus, et Poenitentiarius annumerantur, constat: Primicerius Animarum cura oneratur, cujus collatio licet libera, tamen juxta Tridentinum, nisi habito Concursu, provideri non potest, ac Digniori semper conferatur.

2. In Choro, in Ecclesia, in Processionibus, ac quibuslibet Sacris functionibus, Dignitates, et Canonici suis Insignibus, Rocheto scilicet, et Cappa majori, saltem in diebus Festis, et praecipue Solemnioribus, aliis vero diebus Almutia pro arbitrio utantur. Cum vero Solemnia Pontificio ritu persolventur, juxta Episcoporum Coerimoniale Dignitates sint Solio assistentes, Canonici Planetas induant. Cum ita sint vestiti, omnes respectivis sedeant in scamnis.

3. Ad Primam Dignitatem celebrare spectat Solemnia in Festis, quae sunt Episcopi justa de causa impediti, ac aliis in Anno principalibus. Ejus est convocare Capitulum, hujusque vigili oculo negotia curare, Ecclesiae Cathedralis nitorem in Altaribus, et Supellectili invigilare. Ad ipsum pertinet, uti Presbyter, assistere Episcopo, quotiescumque Solemnia celebrat, vel iis interest.

4. Ad Primicerium cui animarum cura est commissa, omnes solemnitates, quae Parochiales sunt, et in quibus Benedictiones adjunguntur, pertinent; ita etiam Solemnia celebrat in diei Nativitatis aurora, in die Purificationis, feria IV.

Cinerum, et Sabbatis Sanctis ante Pascha, et ante Pentecosten.

5. Ad Cantorem vero spectat Chori disciplina. Ipse destinet Diaconos, Subdiaconos, et Clericos, qui quotidie, et diebus Festis, exceptis primae, et secundae Classis, Altari deserviant. Deputet Cantores Lamentationum in Majori Hebdomoda; aliis vero Festis observetur consuetudo. Denique designet, qui Lectiones in Choro cantet, Antiphonas, et Psalmos praeintonet, ac omnia curabit, quae ad Ordinem, et splendorem Chori pertinent. Circa Missas vero cum Cantu servetur, quod aut de jure, aut ex consuetudine firmum est. Horarium, quod consuetudine, et Nostris Edictis dispositum est, invariabile sit, nisi accedente rationabili causa ab Episcopo, aut ab Archidiacono cognoscenda, mutatio fieri oporteat. Hora Officii semel, et iterum cum aeris campanae denuncietur sono; ac tertia significata, post horae quadrantem Officii recitatio inchoabitur, quae omnia etiam in Dioecesi plene observentur.

6. Capellani hujus Ecclesiae Cathedralis juxta Statuta, et laudabiles Consuetudines, servitium praestent. In Choro, in Ecclesia, aliisque sacris functionibus Rocheto, et Insignibus, quae ex speciali Indulto habent, ornati conveniant; idemque in Ecclesiis Dioecesis respective servari mandamus. In Capitularibus Conclusionibus suffragium, sive votum ad Canonicos spectat. In alienationibus, si quae erunt faciendae, omnes expedit esse consentientes, servando semper Constitutionem Pianam, et Regni Leges, et fiant per secreta Suffragia.

7. Inservientes vero tam Cathedrali Ecclesiae, quam aliis in Civitate, necnon in Ecclesis Diœcesis aggregati, juxta laudabiles Consuetudines, et Statuta suas partes adimpleant, ac per puncta defe-

ctus puniantur, ut servitio, meliori, quo par est modo, satisfiat.

8. Ad normam Brevis *Impensa*, ac Regalium Instructionum Generalium (1), Consulta Episcoporum Commissione, decisum fuit, Cleros Receptitios Cathedralium, aut Collegiatarum per Concursum providendos esse (2): volumus, atque mandamus ad amussim observari, libera tamen remanente aggregatione, electione, et praesentatione, si quas habeant, tum in Nostra Cathedrali tum in Ecclesia Saponariae, quae Insignis Collegiata nuncupatur. Aliter in posterum provisi, ut non Partecipantes habeantur.

9. Negotiis, aliisque statuendis Locus cogendi Capituli, ut mos est, Sacristia sit deputata; ad ipsius januam triduo Schedula antea affigatur, manu Secretarii descripta, indicans objectum peragendum. Quibus autem horis Divina Officia, aut Missae celebrantur, aut Funera, comitia Capituli sint vetita; eaque post Completorium, nisi populus coactus sit ad aliquam sacram functionem exequendam, habenda decernimus. Eadem sit omnium Ecclesiarum hujusce Civitatis, et Dioecesis praxis observanda. Ita etiam in omnibus Ecclesiis servari volumus, paria vota dirimi a Superiore, alteri ex sententiis inhaerendo; majorem partem esse etiam unum supra Vocalium praesentium medietatem. Si vero de negotio, quod aliquem ex Vocalibus in primo, et secundo gradu sibi conjunctum vel domesticum afficiat, ab eo Coetu de voto ferendo ipse sese abstineat. Nulli sive de Capitulo, sive de Ecclesiis tam Civitatis, quam Dioecesis bona communis massae conducere

(1) *Ex* 18 *Novembris* 1822.
(2) *Ex* 13 *Mart.* 1830.

liceat, nisi vota prius secreta rite fuerint exquisita, ac major pars consenserit. Quaecumque Capitulatio sit nulla, si ab unoquoque in loco Capituli non fuerit subscripta. Prohibere denique existimamus, testimoniales Litteras pro quocumque, aut adversus aliquem edere, nisi omnes sive de Capitulo, sive de Ecclesiis seu Civitatis, seu Dioecesis Capitulariter conventi per secreta vota propriam sententiam pronuntiaverint.

CAPUT IV.

DE PAROCHI OFFICIO, ET EJUS RESIDENTIA.

PAROCHI, de quorum ore populus Legem exquirit, et qui Angeli Testamenti praesertim appellantur, scientia, prudentia, sollicitudine, vigilantia, charitate, et vitae sanctitate praefulgeant, et Oves sibi commissas (onus Angelicis humeris formidandum), verbo, et exemplo nutriant, et continuo pascant, scientes quasi rationem reddituri de Animabus suo regimini commissis, sanguis enim illarum de eorum manibus exquiretur, et durissimum judicium cum iis, qui praesunt, fiet. Hinc praecipimus.

1. Omnes Parochi Civitatis, et Nostrae Dioecesis, qui partem hujus laboriosissimi muneris Nobiscum sunt sortiti, diligenter exequi nitantur, quae de Sacramentis tam in genere, quam in specie tradidimus, susceptoque oneri satisfaciant, et in celebratione Missarum, et in Sacramentorum administratione, necnon in Dominicis, et Festis diebus docendo ea, quae omnibus sunt ad salutem necessaria, et eis vitia, quae declinare, et virtutes, quas sectari oporteat, annuntiando, ut

Coelestem Gloriam consequi possint, et valeant. Invigilent, si quos compererint in publico peccato implicatos in viam salutis, et justitiae reducere, nec unquam taceant, vel pro humana reverentia objurgare omittant, ne illorum perditio Parochis ipsis imputetur. Nulla interposita mora ad extreme laborantes Infirmos accedant, diuturnis aegritudinibus languentes visitent, ac alacri animo in quacumque temporis differentia, et temperie ad Sacramenta pervolent ministranda. Invigilent item, ne quis parvulus sine Baptismo, et adultus sine Poenitentia, Viatico, et Sacra Unctione decedat. In subsidium extremo agone laborantium opportune advocent alios Sacerdotes de bonis Ecclesiae Participantes, juxta Regales Dispositiones in novissimis Pactis Conventis contentas, et si quos repugnantes invenerint, Nos, vel Nostrum Vicarium Generalem admoneant, ut hujusmodi temeritate depressa, illico providere valeamus. Inquirant assidue in singularum Ovium vitam, et mores; num odia, rixae, inimicitiae inter ipsas exardescant; num in contractibus illicita admittantur pacta; num audiantur blasphemiae; num in Ecclesiis irreligiositas, vel in foeminis immodestia appareat. Haec omnia investigare, et in Domino arguere, et increpare oportebit; et quae alibi sunt Ipsis injuncta, et praesertim in Cap. II., et III. primae Sessionis, servari denuo in Domino obsecramus.

2. Singuli habeant libros Parochiales, nempe Baptizatorum, Confirmatorum, Matrimonium contrahentium, Status Animarum, et Mortuorum. Formulae vero describendae in unoquoque libro assumantur ex Rit. Rom. in fine, quos Libros, et alios Suorum Praedecessorum custodiant in Ec-

clesiae Archivio, aut bene cautos in alio Scrinio ad hoc tantum in Secretario deputato, nullique legendos tradant, nisi ipsis praesentibus, atque inspicientibus, ut cujuscumque suspicionis auferatur occasio. Eosdem quolibet Anno in Sancta Visitatione, vel quoties a Nobis fuerint requisiti, exhibeant sub poenis arbitrio Nostro infligendis.

3. Quum Divino Praecepto mandatum sit omnibus Curatis, Oves sibi commissas agnoscere, et Gregi suo advigilare, et praesto esse, male se gereret Parochus, qui Eum, mercenariorum more, desereret: ideo praecipimus omnibus Archipresbyteris, Parochis, et Oeconomis Curatis, ne ultra duos dies a Residentia suae Parochiae discedant, relicto Coadjutore, seu Vice-Parocho, qui occurrentibus necessitatibus consulat; nec extra Parochiam sub quovis praetextu commorari praesumant, nisi de Nostra Licentia in scriptis gratis concedenda, si erint ad alia Dioecesis Nostrae loca iter agressuri. Si vero extra Dioecesim, nunquam sine licentia id agant sub poenis in S. C. T. contentis (1); non solum per Censuras, sed etiam per subtractionem proventuum Ecclesiae, quoniam pro temporis absentia fructus suos non facere, nec tuta conscientia sibi retinere possunt, sed in pauperum, et in ipsius Ecclesiae usus convertere debent. Nec Nostrum beneplacitum impertiemur tempore Adventus, et Quadragesimae, nisi praecisae necessitatis causa urgeat. Alii autem Sacerdotes, et Clerici a Dioecesi nullatenus egredi audeant, nisi Nostris commendentur litteris, ac de sua vita, et moribus testimoniales meruerint obtinere, et Manu Nostra, vel Nostri Vicarii Generalis firmatas, sigilloque Episcopali roboratas: si vero aliter attentare praesumpserint, gravi poena arbitraria punientur.

---

(1) *Sess. XXIII. c. 1.*

CAPUT V.

DE SEMINARIIS.

Quum ex Genesi (1) « *Sensus, et cogitatio humani cordis in malum prona sint ab adolescentia sua*, Divino consilio factum est, ut S. Synodus Trid. (2) enixe commendavit Episcopis, ut in singulis Cathedralibus Ecclesiis Seminaria erigantur, in quibus Clerici a teneris annis ad pietatem, et religionem informentur, et in Ecclesiasticis disciplinis instituantur. Hac certe de causa a primis Nostrae Episcopalis curae annis cordi fuit restauratio, et apertio Seminarii, quod jam Convictoribus ob temporum vicissitudines carebat. Nostris Edictis praesertim optimae spei Adolescentes ad Militiam Clericalem adscriptos vocavimus, et selectis variarum scientiarum Professoribus religiose commisimus, opportunasque Regulas, ad mores, et Instituti methodum rigorosam spectantes, accurate dedimus; quae Typis separatim pro majori captu Italico erunt idiomate evulgandae; necnon ad plenam observantiam volumus esse Illas, quae a Nostris Cl. Praedecessoribus fuerunt statutae.

CAPUT VI.

DE MONIALIBUS.

Ad Vos convertimur, Sacrae Virgines, Gregis Nostri Decus, et praedilecta Portio, Jesu Christi

(1) *Cap. VIII. v.* 21.
(2) *Sess. XXVII. c.* 18.

Sponsae, Lilia in horto conclusa, Columbae in foraminibus petrae, et in Mulieribus, quae ad Ostium Tabernaculi excubabant, ac in Virginibus, quae in Conclavi prope Salomonis Templum in assiduis precibus versabantur, praefiguratae. Vos optimam partem elegistis, Vos abdicatis saecularibus desideriis, et mundi illecebris, Uni Deo placere, et inservire statuistis. Studete igitur dilectae in Christo Filiae rugam, omnemque maculam, si qua foret, quantumvis levem, a vestris Animabus eluere, et vestrum decorem virtutibus augere, praesertim ea, quae caeteras complectitur, obedientia, pro cujus majori merito, quae de Vobis sunt laudanda, tamquam Praecepta edicere pro Monasteriis sub titulo S. Thomae Pontificis, et Martiris hujusce Civitatis Marsicensis, proposuimus; necnon S. Crucis Saponariae, cui monasterium S. Joannis Baptistae, Facultate Apostolica, Regioque Placito, justa novissimum Concordatum, canonice, ac perpetuo adneximus, et univimus.

1. Quum Sanctimonialium Monasteria Episcoporum Curae, sub obtestatione Divini Judicii, et interminatione Maledictionis Æternae a Sacrosancta Synodo Tridentina sint commissa, strictissime jubemus, ut ea inviolata religiositate conserventur, nec ulla Monialis post Professionem extra Sacras Ædes pedem efferre audeat, nec alius cujuscumque gradus, sexus, et conditionis sine Nostra licentia in scriptis pedem sacrilego ausu inferre praesumat, sub poena Excommunicationis ipso facto incurrenda, et S. Sedi reservata, praeter poenas Nostro arbitrio infligendas Abbatissae, vel Vicariae, et aliis, quae id permittant, et sub iisdem poenis pueros, et puellas cujuscumque aeta-

tis intra Clausuram introduci, et admitti omnino prohibemus ad formam S. C. Trid. (1).

2. Qui vero ob necessitatem, Nostram licentiam ad tres, aut ad sex menses renovandam Monasterii Septa ingredi obtinuerint, veluti Confessarii, Medici, Chirurgi, Fabri, aliique operarii ad Monialium servitium necessarii, et a Nobis cogniti, data facultate numquam abutantur, sed illam opportuno tempore adhibeant; nec qui habent licentiam ingredi ad opus aliquod obeundum ad aliud praestari possunt, quia licentia ultra officii sui opera non se extendit. Hi ad Ostium Monasterii a duabus ex senioribus Monialibus excepti, tramite recto, et per viam breviorem ad locum operis deducantur, praecedente campanulae signo, quo caeterae Moniales secedere tenentur, et completo opere, cui praedictae Moniales assistant, eadem via egrediantur, procul semper quavis divagatione per Monasterium, et a quacumque cum Monialibus familiaritate. Ingressus non sit ante Solis ortum, nec post occasum egressus; exceptis solummodo Medico, vel Chirurgo, cui noctis tempore, si gravis necessitas urgeat, ingredi permittimus, accenso tamen fanali cereo, et Abbatissa, vel Vicaria cum duabus Monialibus simul comitantibus, necnon Confessario, qui assistentiam in extremo agone laborantium, aut Infirmis ad administranda Sacramenta accersitus, recta cum Comitatricibus via, et absque diverticulo eat, redeatque, nec in alia Monasterii parte divagetur, etiam occasione visitandi alias Infirmas, quibus Sacramentorum administratio non est necessaria, sed solius Monialis infirmae Confessionem audiat, et interim Cellae janua aperta remaneat, et ambae Comita-

(1) *Sess. XXV. de Regul. et Mon. Cap. V.*

trices ad ejusdem Cellae januam morentur, ita ut Confessarius, et Infirma ab eis commode cerni possint. Qui secus fecerint, eamdem Excommunicationis poenam contra Violatores Clausurae latam, incurrant.

3. Clausurae janua sit duabus clavibus obserata, quarum una de die penes Janitricem, et de nocte, h. e. ab Angelicae Salutationis signo, penes Abbatissam asservetur; et altera apud Personam omni exceptione majorem, et a Nobis designatam, quae vigilantiam habeat Clausuram exterius custodiendi.

4. Nemo ad colloquendum cum Monialibus, aut cum aliis in Clausura degentibus sine Nostra, vel Nostri Vicarii Generalis in scriptis licentia, admittatur; exceptis tantum Consanguineis, et Affinibus in primo, vel in secundo gradu, modo colloquium habeatur extra dies Adventus, Quadragesimae, et Sacrae Concionis, quibus temporibus Collocutoria sint semper clausa sub poenis arbitrio Nostro reservatis, et modo non sit frequenter. Colloquia vero sint verecunda, sancta, et brevia, ut Christi Sponsas decet.

5. Quoties aliquid ad Clausuram attinens, casu contingerit, Abbatissa, vel Vicaria statim per litteras Nos faciat certiores, ut opportunas demus dispositiones.

6. Ad tollendam omnem cum externis communicationem, prohibemus cuilibet Sanctimoniali scribere, vel ad quempiam mittere Epistolas, nisi necessaria, aut justa de causa, et tunc permittente Abbatissa, cui tam litterae, quae mittuntur, quam quae veniunt, erunt patefaciendae.

7. Moniales Choro addictae Horas Canonicas devote, et cum pausa psallant; omnes vero Missae Sacrificio quotidie intersint, Sacramenta Poeni-

tentiae, et Eucharistiae, juxta laudabiles consuetudines, frequenter suscipiant ; orationem mentalem, et vocalem , conscientiae examen , jejunia , mortificationes , aliaque Pietatis exercitia non omittant , et a quibusvis profanis mentem avertant .

8. Ante oculos semper sit Votorum , et Regulae stricta observantia, et praesertim Voti paupertatis memores , nulla bona cujuscumque generis quomodolibet acquisita, tamquam propria retineant, sed omnia Abbatissae tradant, et in commune ponant ; eorum vero, quorum usus Abbatissa permiserit , Statui Paupertatis conveniat ; et communi victu , et vestitu utantur , sub poena privationis vocis activae , et passivae , si aliter fiat . Abbatissae eadem poena imponatur , si quid circa ea innovet , vel innovari permiserit . Obedientia tandem , quae maximum Votorum est , et totius disciplinae Monasticae fundamentum , sit ita conspicua , ut omnia , quae in Deum praecipimus , alacri animo , et prompte exequantur .

9. Omnes Novitiae degant sub cura , et regimine Magistrae in particulari habitatione h. e. in Novitiatu , in quo praeter Magistram , nulla Professa vitam ducat (1). Moniales , quae recipiunt Novitias, vel Puellas educandas in suis Cellis sint ipso jure privatae voce activa , et passiva , quoniam Illae non debent conversare cum aliis , nec dormire associatae (2).

10. Puellae educandae intra Monasterium habitent in loco separato tam a dormitorio Sanctimonialium , et Novitiarum , quam a loco , in quo

(1) *Sacr. Congr. Ep. et Regul. in Com.* 10 *Martii* 1563.

(2) *Sacr. Congr. Epis. et Reg. in Patavina* 21 *Jun.* 1605.

ipsae Moniales operibus manualibus vacare solent. Utantur vestitu, qui virginali modestiae, et pudicitiae juxta Nostrum praescriptum conveniat. Quolibet semestri alimenta juxta solitum anticipate solvant in pecunia (1). Cum ad aetatem Vestitionis, aut Professionis pervenerint, et Monasticam vitam amplecti nolunt, aut non curent, inter Claustra morari nullatenus debent.

11. Cum necesse sit juxta Decretum C. T. (2) numerum Monialium praefigi; et quum hujusce Monasterii sint reditus, ut triceni aurei, ut plurimum, requirantur pro qualibet Moniali (3), et in aliis Locis quinquageni, statuimus, ut numerus augeri possit usque ad quinquaginta cum Novitiis, ac decem Conversis, et non amplius. In Monasterio vero S. Crucis Civitatis Saponariae, quo reditus tenuiores modo sunt, non amplius, quam triginta sint inter Professas, Novitias, et Conversas, quae octo non excedant numero.

12. Moniales praeter dotem Monacandae, nihil aliud per pactum recipere possunt; permittitur vero pro Ecclesiae usibus, vel Infirmaria, non autem alio titulo (4). Distincte etiam mandatur, ne occasione officiorum, sive antequam illa exercere incipiant, sive postquam illis perfunctae fuerint, ullos sumptus proprio, et peculiari earum, sed Monasterii nomine faciant, ut ex Clemente XI. habetur; idem statuitur cum Epistola ad Archiep. Neapolita-

---

(1) *Sac. Cong. Epis. et Reg. in Dec. Dertonensi de die* 17 *Maii* 1607.

(2) *Sess. XXV. de Regul. et Monial.*

(3) *In Arim.* 26 *Mart.* 1602, *et in Aquen.* 17 *Septem. ejusdem anni.*

(4) *Sac. Cong. Episc. In Ulysponensi* 5 *Novembris* 1616.

num (1), et ad Nuncium Apostolicum in Civitate Neapolitana eodem mense, et anno, ut inviolabiliter observentur, mandamus.

13. Nulla Monialis in particulari potest, neque de licentia, ac dispensatione Superioris, habere peculium, seu quid aliud, de quo tamquam de re sibi propria pro libitu disponat, ut ex Trid. (2), et habetur expressum in Decret. Clementis VIII. (de Ref. Reg. incipiente *Nullus omnino*); sed omnia Abbatissae tradantur, Monasterioque incorporentur, ac de Superioris licentia, tantum uti potest in sui necessitate, aut commodo.

CAPUT VII.

DE ARCHIVIIS.

1. Tam in Nostra Cathedrali, quam in omnibus Ecclesiis Civitatis, et Dioecesis, necnon in Seminario, et in Sanctimonialium Monasteriis sit Archivium, et fideliter custodiatur, ita ut nemini unquam liceat sub poena Excommunicationis latae sententiae Nobis, Nostrisque Successoribus reservatae, quamlibet Scripturam extrahere, vel quovis modo penes se habere, obliterare, lacerare, vel igni tradere, aut aliis sub quocumque titulo, vel praetextu praebere. Sub eadem poena intra duos menses ab hujus Synodi dimissione, absque ulla exceptione, quidquid ad Archivium Mensae, vel Curiae Episcopalis, aliorumque, ut dictum est, pertinet, restituere quisque teneatur. Miseranda res! Ob temporum indignitatem Actorum

(1) 26 *Junii* 1716.
(2) *Sess. XXV. it.*

fata in diem dolemus, et una conquerimur jacturam irreparabilem tot, tantorumque Instrumentorum, et notitiam rerum a Nostris Majoribus gestarum frustra desiderari, non aliam ob causam, nisi quod conservatio, vel neglecta, vel oscitantibus, aut fraudulentis commendata fuit Custodibus. Ut autem hujusmodi querelis, et jacturis occasio in posterum non detur, hac inviolabili lege, et poenis supradictis, quod statuimus, iterum praecipimus, ac mandamus.

2. Nulla Scriptura, Processus, Liber etc., cujuscumque generis sit, originalis extrahatur ab Episcopali Archivio sine Nostra speciali licentia, quam nonnisi ex gravi causa concedemus, et cum debitis cautelis.

3. Ab Archiviis neque Autographa, nempe Scripturae originales, neque Exemplaria vulgo *Copie* extrahantur, nisi de scientia, et consensu Archipresbyteri, et Archivarii, relicta in eodem Archivio memoria de Scripturarum acceptione. Archivario autem, seu Cancellario suffragiis Cleri electo die 31 Decembris cujusque Anni, ut ex Statutis Generalibus, consignentur Scripturae per Inventarium dupliciter peractum, ita ut quisque eorum suum habeat Exemplar.

Omnia tandem, et singula hujusce Nostrae Synodi Statuta, Supremo Sedis Apostolicae judicio, Sanctaeque Romanae Ecclesiae, quam uti omnium Ecclesiarum Matrem, et Magistram, Firmissimamque Columnam veritatis veneramnr, Auctoritati subjicimus obsequentissime.

Nos PETRUS IGNATIUS EPISCOPUS MARSICENSIS, ET POTENTINUS, *ita definientes subscribimus.*

Jacobus Antonius Can. Rossi Vicarius Generalis.
Joannes Antonius Archidiaconus Lapolla.

Caesar Primicerius Pepe.
Blasius Cantor Glielma.
Joannes Canonicus Decanus Barrese.
Joannes Canonicus Blasi.
Aloysius Barrese Canonicus Theologus.
Vitus Canonicus Giacchetti.
Michael Canonicus Votta.
Gabriel Cerverizzo Canonicus Poenitentiarius.
Franciscus Xaverius Canonicus Piscopia.
Aloysius Canonicus Votta.
Joannes Cononicus Votta.
Aloysius Canonicus Marsicovetere.
Joseph Canonicus Pepe.
Januarius Roselli Archipresbyter Insignis Collegiatae Ecclesiae Civitatis Saponariae.
Pro Parocho S. Marci hujus Civitatis. Admod. Reverendo Alexandro Barrese presente, ob laesam potentiam visivam, Franciscus Barrese ad hunc actum deputatus.
Jacobus Lacava Parochus Sanctae Catharinae Virginis, et Martyris, ac S. Thomae Martyris Civitatis Marsicen.
Hector Nicolia Archipresbyter Curatus Matrici Ecclesiae Vejani.
Joseph Maria Cioffi Archipresbyter Matricis Ecclesiae Sarconi.
Franciscus Xaverius Giampietro Archipresbyter Matricis Ecclesiae Marsiciveteris.
Cataldus Lovito Archipresbyter Matricis Ecclesiae Burgentiae.
Vincentius Santangelo Archipresbyter Matricis Ecclesiae Saxi.
Dominicus Cantor Autilio Ecclesiae Moliterni, et Vicarius Foraneus.
Dominicus Cantor Messina Matricis Ecclesiae Vejani.

Josephus Argentio Cantor Ecclesiae Marsiciveteris.
Antonius Cantor Doti Ecclesiae Saxi.
Sacerdos Clemens Masini Archipresbyteri Ecclesiae Moliterni Procurator.
Sacerdos Martialis di Elia Cantoris, et Vicarii Foranei Ecclesiae Burgentiae Procurator.
Michael Angelus Caputi Vicarius Foraneus Ecclesiae Saponariae.
Paschalis Vietri Vicarius Foraneus Ecclesiae Vejani.
Michael Doti pro-Vicarius Foraneus Ecclesiae Saxi.
Franciscus Sacerdos Pascale Ecclesiae Marsiciveteris.
Sacerdos Cataldus Marrone Ecclesiae Burgentiae Procurator.
Franciscus Xaverius Caggiano OEconomus Ecclesiae S. Thomae Marsic.
Sacerdos Franciscus de Sanctis Ecclesiae Vejani.
Sacerdos Joseph de Cunto Ecclesiae Vejani.
Sacerdos Franciscus Xaverius Celentano Ecclesiae Burgentiae, Cleri Procurator.
Sacerdos Joseph Pisani Ecclesiae Vejani.
Sacerdos Franciscus Xaverius Collazzo Ecclesiae Burgentiae.
Sacerdos Fabius Pisani Ecclesiae Vejani.
Sacerdos Rochus Antonius Beneventani Ecclesiae Saxi.
Sacerdos Raphael Gagliardi Ecclesiae Vejani.
Sacerdos Cajetanus Paternoster Ecclesiae Burgentiae.

ACTA
SYNODI MARSICENSIS
AB EXCELLENTISSIMO, ET REVERENDIS.
Episcopo Domino,
D. PETRO IGNATIO MAROLDA
CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS.
Diebus 8, 9, 10 Septembris Anni 1834 coactae.

Excellentissimus ac Reverendissimus Dominus Episcopus Synodum celebraturus, Eam cum mobilium Festorum praeconio voluit primo annuntiatam, deinde Edicto sub die 25 Julii ejusdem anni in Cathedrali, ac in Matricibus Dioecesis Ecclesiis indici mandavit.

Die vero 4 Sept., Feria V., Praesul a Capitulo, et Seminario comitatus Templum petiit, et servatis servandis, Missam legit de Spiritu Sancto in Ara majori, ut Sacrae Actioni assistentiam Paracleti impetraret. Die autem 7, Dominica, harmonico omnium Ecclesiarum Civitatis campanarum sono ad laetitiam excitandam rursus enunciavit; atque post Completorium, coram Sanctissimo Sacramento exposito fuit persolutum Matutinum cum Laudibus sequentis diei, Immaculatae semper Virginis Mariae Nativitatis Festo addicti.

Die ergo 8, Feria 2, hora XII. Capitulum, et omnes de Urbe, et Dioecesi praecedenti Edicto vocati, in Cathedrali coacti, venerunt in Episcopium, unde Praesul Cappa, et Galero ornatus in

Templum, omnibus comitantibus per Januam Majorem se contulit. Aspersa dein aqua, prolixius oravit, et qui Sacra Ornamenta accipere debebant, se se ornarunt. In Secretario Nonam cum cantu intonavit, ac omnia, quae in Pontificali praescripta sunt, adimplevit. Fuit ordinata Processio ad Aram principem, quo Episcopus venit, Missamque de Nativitate BB. Virginis Mariae, Cujus Dies Festus recurrebat, incoavit, et successive peregit. Cum se Corpore, et Sanguine Domini saginasset, ac Divinum Panem Altaris Diacono, ac Subdiacono porrexisset, facta a Diacono confessione, cunctos, ut moris, absolvit, et continuo omnibus de Synodo Panem Coelestem praebuit, atque Missam perfecit. Depositis Sacris Vestibus, accepit Pluviale rubeum, et gratiis de more relatis, fuit instituta Processio, ac Hymnum *Veni Creator Spiritus*, omnibus genuflexis, intonavit. Processio prodiit ad Ecclesiam Sancti Angeli, ubi decantata Antiphona *Salve Regina*, Episcopus, Mitra detracta, Orationem cantavit. Inde rediit Processio in Cathedralem, et Omnes sua loca petiere. Praesul vero sedit in Faldistorio; et paulo post Diaconus, qui a dextris erat, alta voce cantavit « *Orate* » omnes genua flexerunt.

Tum unus ex Archipresbyteris alta voce legit Orationis capita pro SS. D. N. Gregorio PP. XVI.: pro Episcopis: pro Serenissimo, Piissimo, Catholico, Rege Nostro *Ferdinando II.°*: pro augmento Christianae disciplinae: pro salutari Synodi successu: pro Cleri, et Populi in bene agendo perseverantia: pro Ministris Ecclesiae Cathedralis: pro perfecto Synodi Decretorum implemento.

Episcopus postea intonavit Antiphonam «*Exaudi*» et decantatus fuit Psalmus «*Salvum me fac Deus*»

et fuit Antiphona repetita. Praesul deposita Mitra, dixit Orationem «*Adsumus*» et aliam «*Omnipotens*». Tum rursus genuflexis, omnibus decantatae fuere Litaniae Sanctorum usque ad ℣. « *Ut omnibus fidelibus defunctis* » etc. inclusive. Tunc surgens Episcopus, Pastorali Baculo innixus ad Synodum conversus decantavit ℣. « *Ut hanc praesentem Synodum* » etc., denuo genua flexit, et completis Litaniis, Orationem dixit « *Da Quaesumus* ».

Praesul sedit in Faldistorio medius inter Solii Diaconos; ac Diaconus Altaris ad Manus osculum accessit, omnibus aliis persolutis, Evangelium decantavit. Quo decantato, Episcopus genuflexus intonavit Hymnum « *Veni Creator Spiritus* » et eo finito, sedit; Mitraque accepta, Sermonem italico idiomate, ad faciliorem omnium captum, habuit; adductis pro themate verbis Psalmi(1) « *Congregate Sanctos ejus, qui ordinant Testamentum ejus super Sacrificia* ».

Sedente Episcopo, per Diaconum mandavit vocari eos, qui forsan querelas haberent proponendas, dicente Diacono: *Si quis habeat querelas, exeat, et dicat.*

His praemissis, Synodi Secretarius accessit, et facta debita reverentia, ait: *Excellentissime, et Reverendissime Pater, placetne Tibi Decreta aliqua promulgari?* Respondit Praesul: *Legatur Decretum de inchoatione Synodi, et alia similiter*. Tunc Secretarius recitavit hoc Decretum.

In nomine Sanctissimae, Individuae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Nos *Petrus Ignatius Marolda* Congregationis Sanctissimi Redemptoris, Dei, et S. Sedis Apostolicae Gratia Episcopus Marsicensis, et Potentinus, ad majo-

(1) *XLIX.* v. 6.

rem Dei Omnipotentis gloriam, et Immaculatae Virginis Mariae, praecipuae Patronae Nostrae, cujus sub excelsae Assumptionis in Coelum invocatione hoc Templum caput gloriose extollit, et S. Georgii M. Titularis, SS. Januarii Ep. Afric. M. principalis Patroni, et Augustalis M., aliorumque SS. Patronorum, Nostram Dioecesanam Synodum incipimus, et incoeptam pronunciamus. Faxit ergo Ipse Omnipotens Dominus pro sua Misericordia, precibusque accedentibus semper adorandae Dominae nostrae perpetuae Virginis, eorumdem, et omnium Sanctorum; ut, quod humiliter petimus, lumen ad rem bene gerendam, quo muneri Nostro, ut par est, incumbamus, assequi mereamur.

DECRETUM DE MODO VIVENDI IN SYNODO.

Cum nihil tam utile sit Ecclesiae Dei, quam honestas Ministrorum ejus, quorum sicut virtutibus ornatur, ita eorum vitiis dehonestatur: cupientes Nos, ut ii sint Populo clariora exempli, et aedificationis quovis tempore argumenta, multo magis putamus, debere hoc sacro Synodi tempore cunctis praelucere virtutibus, et ne Actio tam insignis foedatur, decernimus, quod tum verbis, tum actionibus sive domi, sive in Civitate, seu in Templo, unusquisque reminiscatur finis, ad quem sacra Actio ordinatur, ad Dei scilicet Gloriam, Populi salutem, et Cleri reformationem. Absit ergo, ut aliquis a recta via aberret, ne indignationem Dei, et Nostram experiatur.

DECRETUM DE SYNODI OFFICIALIBUS.

Multos quidem hac Nostra Synodo requirente Ministros, ut cuncta, quae agenda sunt, recto

cum ordine suum sortiantur effectum , hos qui sequuntur , deligimus Officiales , qui muneri , quod eis defertur , modeste, atque integre explendo , vacent. Eligimus ergo

In Promotorem Synodi *Admodum Reverendum Can. D. Joannem Barrese Decanum, in Sacra Theologia Laureatum.*

In Secretarios Synodi *Admodum Reverendum Can. D. Aloysium Barrese , in Sacra Theologia Licentiatum; et Admodum Rev. Can. Votta Cancellarium Episcopalem.*

In Judices , si quae sint , querelarum *Admodum Rever. Archidiaconum Joannem Antonium Lapolla; Admodum Reverendum Primicerium D. Coesarem Pepe, in Sacra Theologia Licentiatum; Admodum Reverendum Cantorem D. Blasium Glielma, in Sacra Theologia Licentiatum .*

In Notarios Synodi *Admodum Reverend. Can. D. Joannem Blasi ; Admodum Rev. Can. D. Franciscum Xaverium Piscopia.*

In Praefectos disciplinae Synodi *Admodum Reveren. Can. D. Aloysium Votta; Admodum Rev. Can. D. Joannem Votta.*

In Confessarios Cleri , durante Synodo cum facultatibus Nostris, etiam ex Capite Liceat *Admod. Rev. Can. Poenitentiarium D. Gabrielem Cerverizzi ; Admodum Reverendum D. Alexandrum Barrese Ecclesiae S. Marci Parochum ; Admodum Reverendum D. Januarium Roselli Ecclesiae Saponariae Archipresbyterum ; Admodum Rev. D. Cataldum Lovito Ecclesiae Burgentiae Archipr.*

In Coerimoniarum Magistros *Admodum Rever. Can. D. Vitum Giacchetti; Admodum Rev. Can. D. Aloysium Marsicovetere ; Rev. D. Josephum Pisani.*

In Synodi Cantores *Rever. D. Angelum Dattoli; Rev. D. Camillum Dattoli; Rev. D. Martialem d' Elia ; Rev. D. Franciscum Xaverium Palladino ; Rev. Diaconum D. Thomam Palladino*.

In Synodi Ostiarios *Rev. D. Dominicum Antonium Degerardis ; Rev. D. Felicem Lacava ; Rev. D. Franciscum Rotunno ; Rev. D. Antonium Casaletto*.

DECRETUM DE PRÆJUDICIO NON INFERENDO.

Quoniam multa sunt negotia peragenda, et numerus eorum non paucus, qui Synodo convenerunt, et varia Ecclesiarum jura, quae discussione forsan indigent, adeoque vel aliquos stare, vel sedere, vel incedere, vel vocari, vel subscribere loco non suo, evenire potest; decernimus, quod nulli per locum, sessionem, praepositionem, postpositionem, vocationem, vel subscriptionem jus datur, vel praejudicium irrogatur; immo volumus unumquemque debere in jure suo absque ullo augmento, vel detrimento remanere.

DECRETUM DE NON DISCEDENDO.

Tametsi Edicto Encyclico Indictionis Synodi mulctandos jusserimus eos, qui non convenerint, vel si convenerint, et Ea non absoluta, discesserint; decernimus nunc eoipso a Divinis, qui abeunt, fore suspensos.

DECRETUM DE FIDEI PROFESSIONE.

Antequam ad edicendas Constitutiones gradum faciamus, Fidem ipsam veluti Firmam Petram, super qua magni momenti Domum construere percupimus, et per quam viam ad ea, quae agenda

sunt, sternimus, expresse profiteamur, necesse est. Omnes ergo quotquot huc convenerunt Dignitates, et Canonici Nostrae Cathedralis, Civitatis, et Dioecesis Archipresbyteri, Cantores, Vicarii Foranei, omnes, quibus Sacramentales Confessiones Fidelium excipere indulsimus, uniuscujusque Cleri Procuratores, omnesque alii palam profitebuntur juxta formulam Pianam, mandamus.

Lecto de Fidei Professione Decreto, Presbyter assistens detulit Reliquias Ligni S. Crucis. Antistite ergo genuflectente, universa Synodus genua flexit; et tunc Ipse alta voce Fidem professus fuit, juxta praelaudatam formulam: quod et omnes fecerunt. Antistite sedente, omnes bini accedentes jurarunt per Sancta Dei Evangelia, et S. Crucis vivificum Lignum reverenter fuere osculati.

Hac actione expleta, Promotor Synodi accessit, et institit.

Excellentissime, ac Reverendis. Pater, quoniam per Edictum relaxatum, et in Ecclesiis tum Cathedrali, tum Matricibus Dioecesis affixum, omnibus, qui in Synodo convenire tenentur, fuit mandatum, ut in Ea intervenirent; ac ut contumaces notentur, et successive puniantur, Ego Joannes Barrese *hujus S. Ecclesiae Canonicus Decanus Synodi Promotor, humiliter peto eorum vocationem decerni, et contumaces puniri omni meliori modo.*

Praesul respondit « *Vocentur, et successive puniantur.*

Tunc Secretarius recitavit Decretum de vocatione omnium.

Omnes per Edictum vocatos, per Synodi Secretarium vocari nunc decernimus; utque singuli vocati, surgentes, *adsum* respondeant, mandamus.

1. Reverendissimus D. Jacobus Antonius Rossi Civitatis Rivelliae Abbas, Sacrae Theologiae Professor, Cathedralis Ecclesiae Polycastren Canonicus, ac in Ea Examinator Synodalis, hujus Nostrae Dioecesis Marsicen Vicarius Generalis.
2. Admodum Reverendus Archidiaconus D. Joannes Antonius Lapolla, Prima Dignitas.
3. Admodum Rev. Primicerius D. Coesar Pepe in Sacra Theologia Licentiatus, Secunda Dignitas cum Animarum Cura.
4. Admodum Rev. Cantor D. Blasius Glielma in Sacra Theologia Licentiatus, Tertia Dignitas.
5. Admodum Rev. Canonicus D. Joannes Barrese Decanus, in Sacra Theologia Laureatus.
6. Admodum Rev. Canonicus D. Joannes Blasi.
7. Admodum Rev. Canonicus D. Aloysius Barrese Theologus in Sacra Theologia Licentiatus.
8. Admodum Rev. Canonicus D. Vitus Giacchetti Magister Coerimoniarum.
9. Admodum Rev. Canonicus D. Michael Votta Cancellarius Episcopalis.
10. Admodum Rev. Can. D. Gabriel Cerverizzi Poenitentiarius.
11. Admodum Rev. Canonicus D. Franciscus Xaverius Piscopia.
12. Admodum Rev. Canonicus D. Aloysius Votta.
13. Admodum Rev. Canonicus D. Joannes Votta.
14. Admodum Rev. Canonicus D. Aloysius Marsicovetere.
15. Admodum Rev. Canonicus D. Joseph Pepe.

De duodecim vacat unus.

16. Rev. D. Dominicus Antonius Degerardis Capellanus.
17. Rev. D. Angelus Dattoli Capellanus.
18. Rev. D. Felix Lacava Capellanus.

19. Rev. D. Camillus Dattoli Capellanus.
20. Rev. D. Franciscus Antonius Rotunno Capellanus.
21. Rev. D. Donatus Casaletto Capellanus.
22. Admodum Rev. D. Alexander Barrese Ecclesiae S. Marci Parochus.
23. Admodum Rev. D. Jacobus Lacava Ecclesiae S. Catherinae Parochus.
24. Rev. D. Franciscus Caggiano Ecclesiae S. Thomae Ep. et Mart. OEconomus.

SAPONARIAE.

25. Admodum Rev. D. Januarius Roselli Archipresbyter Curatus.
26. Admodum Rev. D. Michael Arcangelus Caputi Vicarius Foraneus.
27. Admodum Rev. D. Nicolaus Roselli Senior.
28. Admodum Rev. D. Nicolaus Roselli Junior.
29. Rev. D. Vincentius Argenzio.

BURGENTIAE.

30. Admodum Rev. D. Cataldus Lovito Archipresbyter Curatus.
31. Admodum Rev. D. Rochus Giampietro Cantor, et Vicarius Foraneus.
32. Rev. D. Cataldus Sproviero.
33. Rev. D. Cataldus Marrone.
34. Rev. D. Carmelus Macchia.
35. Rev. D. Franciscus Xaverius Celentano.
36. Rev. D. Franciscus Xaverius Collazzo.
37. Rev. D. Cajetanus Paternoster.

MARSICIVETERIS.

38. Admodum Reveren. D. Franciscus Xaverius Giampietro Archipresb. Curatus.
39. Admodum Rev. D. Joseph Argenzio Cantor.

40\. Rev. D. Laurentius Barrile Vicarius Foraneus.
41\. Rev. D. Franciscus Pascale.
42\. Rev. D. Augustinus Giampietro.

VEJANI.

43\. Admodum Rev. D. Hector Nicolia Archipresbyter Curatus.
44\. Admodum Rev. D. Dominicus Messina Cantor.
45\. Rev. D. Franciscus Vomero.
46\. Rev. D. Franciscus Desantis.
47\. Rev. D. Prosper Paoliello.
48\. Rev. D. Paschalis Vietri Vicarius Foraneus.
49\. Rev. D. Joseph Decunto.
50\. Rev. D. Joseph Pisani.
51\. Rev. D. Fabius Pisani.
52\. Rev. D. Raphael Gagliardi.

MOLITERNI.

53\. Admodum Rev. D. Ascanius Parisi Archipresbyter Curatus.
54\. Admodum Rev. D. Dominicus Autilio Cantor, et Vicarius Foraneus.
55\. Rev. D. Franciscus Cassini.
56\. Rev. D. Candidus Bianculli.
57\. Rev. D. Joannes Palermo.
58\. Rev. D. Vitus Autilio.

SARCONI.

59\. Admodum Rev. D. Joseph Cioffi Archipresbyter Curatus.
60\. Admodum Rev. D. Cantor *vacat*.
61\. Rev. D. Dominicus Lati Pro-Vicarius Foraneus.

SAXI.

62\. Admodum Rev. D. Vincentius Santangelo Archipresbyter Curatus.

63. Admodum Rev. D. Antonius Doti Cantor.
64. Rev. D. Michael Logiurato.
65. Rev. D. Rochus Beneventano.
66. Rev. D. Michael Doti Pro-vicarius Foraneus.

Sequuta ejusmodi vocatione, Promotor institit. *Excellentissime, et Reverendissime Pater, cum nonnulli ex his, qui convenire Synodum tenebantur, a conveniendo defecerint*, ego Joannes Canonicus Barrese, *Synodi Promotor, reverenter insto, eos incursos declarari in poenas Edicto comminatas, omni meliori modo.*

Praesul respondit: *Declarentur incursi, adeoque mulctentur.*

Tunc Secretarius legit Decretum in contumaces.

Ne impunes abeant contumaces, qui copiam sui in Synodo facere tenebantur, decernimus, quod declarentur incursi in poenam Edicto contentam, et juxta eam puniantur.

Deinde Promotor rursus accedens petiit « *Excellentissime, ac Reverendissime Pater, cum hora adeo tarda sit, ut Constitutionibus evulgandis tempus non suppetat: idcirco* ego Joannes Canonicus Barrese, *Synodi Promotor, reverenter peto, praescribi horam continuationis Sessionis, ut omnes huc revertantur, eas audituri, omni meliori modo.*

Respondit Antistes: *Annuimus, et legatur Decretum.*

Secretarius continuo recitavit sequens Decretum de continuanda Sessione.

Cum hora tarda sit, adeoque Constitutionum evulgatio fieri commode non possit, decernimus, quod quicumque Synodo convenire tenentur, hora XXI. huc redeant eas audituri sub poena Suspensionis a Divinis eoipso incurrendae, Nobis reserva-

tae, et interim Omnes in pace ad hospitia, qua par est modestia, abeant.

Tunc Excellentissimus, et Reverendissimus Dominus benedicens Synodo, Sacra Indumenta deposuit, Cappam reassumpsit, et cum consueto Comitatu hora 17 cum dimidio repetiit Palatium Episcopale.

CONTINUATIO SESSIONIS EJUSDEM DIEI 8 SEPTEMBRIS 1834, HORA XXI.

Hora vigesimaprima Praesul Cappa contectus, Capitulo, et Seminario comitantibus venit in Templum; et Oratione praemissa, interfuit Vesperis cum universa Synodo; et Completorii recitatione pendente, Sacra Indumenta accepit, prout fecerunt omnes de Capitulo, ac Ministri Libri, Candelae, Mitrae, et Baculi. Venit inde ad Faldistorium, et Diaconus ab Ejus dextris intonavit « *Orate* ».

Tunc omnes genua flexerunt, et idem Archipresbyter Capita Orationis lenta sonoraque voce, ut hoc mane factum erat, instillavit. Ea finita, Antistes stans sine Mitra dixit Orationem, *Adsumus*, et sequentem; ac genuflexus Hymnum Spiritus Sancti intonavit, et eo absoluto, sedit. Tunc ad Eum Promotor venit, ac petiit: *Excellentissime, ac Reverendissime Pater, quoniam hoc mane Decretum fuit hodie promulgandas Synodi Constitutiones; idcirco* ego Joannes Canonicus Barrese, *Synodi Promotor, reverenter peto Earum decerni publicationem.*

Tunc Praesul respondit « *Legantur.*

Dominus Vicarius Generalis comitatus a Canonico Coerimoniario attulit Librum Constitutionum Excellentissimo Domino cum debitis osculis; eumque Antistes tradidit Canonico a Secretis Synodi, qui

legit Constitutiones Primae Sessionis : eaque finita, Promotor petiit absentes notari, et puniri, ut mandatum fuit. Praeterea institit praescribi horam crastina die conveniendi, et suffragia decerni Animabus decessorum Pastorum, et omnium de Clero Urbano, et Foraneo Defunctorum.

Praesul dixit « *Annuimus* » et Secretarius legit Decretum.

DECRETUM CONTINUATIONIS SYNODI.

Qui Synodo hodie convenire neglexerunt, per Generalem Vicarium Nostrum juxta Decretum hoc mane latum, puniantur. Qui adsunt in pace recedant, huc crastina die, Domino benedicente, reversuri, hora XIII., ut in primis Antistitum, qui in hac Cathedra Nos praecesserunt, et omnium Civitatis et Dioecesis Sacerdotum Animabus suffragium cum solemni Missa faciamus; et successive ad Constitutionum secundae Sessionis evulgationem procedamus : omnes interim in sua hospitia redeant.

Data Benedictione, omnes dimissi hora 23. cum dimidio discesserunt. Excellentissimus ac Reverendissimus Dominus reassumpta Cappa, cum eodem, quo accesserat, Comitatu Domum repetiit.

SESSIO II.
DIE 9 SEPTEMBRIS 1834.

Hora XIII., Episcopus comitatus a Capitulo, et Seminario Cappa contectus in Templum perrexit; et aqua aspersa, oravit, et interim omnes de Collegio Capituli nigra indumenta juxta eorum Ordinem induerunt: et Praesul in Sede Ornamenta pretiosa nigri coloris pro solemni Missa peragenda, per Altaris Ministros exhibita, induit : venit ad Aram, Missam inchoavit, atque complevit : post

eam reversus in Solium, Casulam exuit, aliaque, et assumpto pluviali nigro, et strato panno in plano Capellae, nigri pariter coloris, fuit modulatum Responsorium *Libera me Domine*, aqua illum aspersit, thurificavit, et Orationem decantavit. Absoluta isthac actione, deposito nigro Pluviali, induit rubrum, venitque in Faldistorium inferius; et tunc Diaconus enunciavit omnibus « *Orate* ». Omnes genua flexerunt, et idem Archipresbyter puncta Orationis instillavit. Ea finita, unus ex Canonicis accessit, et praeintonavit Pontifici Antiphonam « *Propitius esto* » quam Ille detracta Mitra intonavit: ea decantata per Cantores, Pontifex, et cuncti consederunt, et alternatim Psalmum « *Deus venerunt gentes* » concinuerunt. Quo terminato, cantavit Praesul Orationem « *Nostrorum* » et seq.; quibus completis, sedens in Faldistorio admisit ad manus osculum Diaconum Altaris, imposuit incensum in thuribulum, benedixit Diacono, qui accepta benedictione, Evangelium decantavit, cujus Librum Praesul osculatus fuit, et per Presbyterum adsistentem fuit thurificatus. Omnibus genuflexis, Praesul stans intonavit *Veni Creator Spiritus*, et postea genua flexit, donec primus versus per Chorum fuit modulatus. Finito Hymno Pontifex, omnesque consederunt.

Post haec D. Vicarius Generalis osculata Pontificis manu, habuit ex Pulpito latinam, elegantemque ad Synodum Orationem.

Deinde Promotor institit. *Excellentissime ac Reverendissime Pater, cautum est Sacri Concilii Tridentini Decreto eligendos in Synodo Examinatores doctrina, et integritate idoneos, qui mores, et scientiam perscrutentur eorum, quibus Parochiales Ecclesiae sunt conferendae. Idcirco* ego Joannes Canonicus Barrese, *Synodi*

Promotor, reverenter peto eos deligi, qui deinde praestito ad Sancta Dei Evangelia juramento de munere fideliter implendo, id spondeant, omni meliori modo.

Praesul respondit « *Legatur Nota delectorum Synodi Examinatorum*. Secretarius legit.

In Examinatores Synodicos qui praeficiendorum Paroecialibus Ecclesiis examen faciant, juxta Decretum Sac. Conc. Trid. quorum munus ad aliam usque Synodum perduret; hos qui subnectuntur, deligimus; et eorum nomina in Actis recensenda decernimus. Sunt autem

1. Rev. D. Jacobus Antonius Rossi Civitatis Rivelliae Abbas, Sacrae Theologiae Professor, Cathedralis Ecclesiae Polycastren Canonicus, ac Examinator Synodalis, in Nostra vero Marsicen Dioecesi Vicarius in Spiritualibus, et Temporalibus Generalis.
2. Admodum Rev. D. Joannes Antonius Archidiaconus Lapolla Prima Dignitas.
3. Admodum Rev. D. Coesar Pepe Primicerius Secunda Dignitas in Sac. Theologia Licentiatus.
4. Admodum Rev. D. Blasius Glielma Cantor Tertia Dignitas in Sac. Theol. Licentiatus.
5. Admodum. Rev. D. Joannes Canonicus Barrese Decanus in Sac. Theolog. Laureatus.
6. Admodum Rev. D. Joannes Canonicus Blasi.
7. Admodum Rev. D. Aloysius Canonicus Barrese Theologus in Sac. Theologia Licentiatus.
8. Admodum Rev. D. Gabriel Canonicus Cerverizzi Poenitentiarius.
9. Admodum Rev. D. Alexander Barrese Parochus S. Marci.
10. Admodum Rev. D. Jacobus Lacava Parochus S. Catharinae.

Ex Ecclesiis Dioecesis .

11. Admodum Rev. D. Januarius Roselli Archipresbyter Curatus Saponariae.
12. Admodum Rev. D. Cataldus Lovito Archipresbyter Curatus Burgentiae.
13. Admodum Rev. D. Rochus Giampietro Cantor, et Vicarius Foraneus Ecclesiae Burgentiae.
14. Admodum Rev. D. Franciscus Xaverius Giampietro Archipresbyter Curatus Marsiciveteris.
15. Admodum Rev. D. Hector Nicolia Archipresbyter Curatus Vejani.
16. Rev. D. Joseph Decunto.
17. Rev. D. Joseph Pisani.
18. Rev. D. Vitus Autilio.
19. Admodum Rev. D. Joseph Cioffi Archipresbyter Curatus Sarconi.
20. Admodum Rev. D. Vincentius Santangelo Archipresbyter Curatus Saxi.

Tunc Excellentissimus ac Reverendissimus Dominus ad Capitulum conversus dixit « *Placentne Vobis ?* — Et omnes de Synodo responderunt » *Placent , placent.* — Inde Promotor institit.

Excellentissime ac Reverendissime Pater, Sac. Conc. Trid. Constitutione cavetur , ut Examinatores in Synodo delecti jurisjurandi religione interjecta , jurent de munere suo fideliter exercendo. Ideo ego Joannes Canonicus Barrese, *Synodi Promotor , reverenter peto electos praesentes ad jurandum vocari, omni meliori modo.*

Cumque Excellentissimus ac Reverendissimus Episcopus vocasset Eos, tunc accesserunt praesentes ad juramentum praestandum , scilicet 1 , 2 , 3 , 4 , 5 , 6 , 7 , 8 , 9 , 10 , 11 , 12 , 13 , 14 , 15 , 16 , 17 , 19 , 20 , et in Manibus Excellentissimi ac Reverendissimi Domini sub his verbis jurarunt . *Ego N. N. Examinator Synodalis*

spondeo, et juro me munus meum fideliter gesturum; sic me Deus adjuvet, et haec Sancta Dei Evangelia. His habitis, Promotor petiit.

Excellentissime ac Reverendissime Pater, Con. Trid. Sanctione mandatur in Synodo eligi debere Judices, quibus caussae a S. Sede Apostolica delegentur. Ideo ego Joannes Canonicus Barrese, *Synodi Promotor, reverenter insto, ad eorum delectionem procedi*.

Excellentissimus ac Reverendissimus Dominus pronunciavit » *Legatur nota Judicum Synodi* » Tunc Secretarius eos ex scripto nominavit.

1. Admodum Rev. D. Michael Canonicus Votta Cancellarius Episcopalis.
2. Admodum Rev. D. Michael Angelus Caputi Vicarius Foraneus Saponariae.
3. Rev. D. Franciscus Celentano Burgentiae.
4. Admodum Rev. D. Joseph Argentio in Ecclesia Marsiciveteris Cantor.
5. Rev. D. Augustinus Giampietro Marsiciveteris.
6. Admodum Rev. D. Dominicus Messina in Ecclesia Vejani Cantor.
7. Rev. D. Franciscus Desantis Terrae Vejani.
8. Admodum Rev. D. Dominicus Autilio Cantor, et Vicarius Foraneus Ecclesiae Moliterni.
9. Rev. D. Franciscus Cassini Terrae Moliterni.
10. Admodum Rev. D. Antonius Doti Cantor Ecclesiae Terrae Saxi.

Deinde Promotor accedens institit » *Excellentissime ac Reverendissime Pater, in Synodo eligendi sunt testes aetate, moribus, zelo praestantes, qui Ecclesiasticae, et Christianae Disciplinae invigilent. Ideo ego* Joannes Canonicus Barrese *Synodi Promotor, reverenter peto eos deligi, omni meliori modo*.

Praesul respondit » *Elegimus, eorumque no-*

mina rationabiles ob caussas reticemus » Tum Promotor » *Excellentissime ac Reverendissime Pater , quoniam hesterna die Constitutionum Synodicarum evulgationem hoc mane prosequendam fore , decretum fuit : ideo ego* Joannes Canonicus Barrese , *Synodi Promotor , reverenter peto demandari publicationem perscriptarum pro secunda die , omni meliori modo .*

Tunc allato Libro per Dominum Vicarium Generalem , qui illum Pontifici cum osculo Manus praesentavit, ipsumque Antistes tradidit Secretario, qui legit Constitutiones Secundae Sessionis.

Tunc quia hora tarda erat, Promotor juxta morem petiit punitionem absentium, praescriptionem horae vespertinae pro complemento Sessionis , et dimissionem : quae omnia ubi Praesul mandasset, data Benedictione , Sacra deposuit Ornamenta , et Cappa indutus cum consueto Comitatu Episcopium repetiit.

CONTINUATIO SESSIONIS EJUSDEM DIEI .

Hora XXI. comitatus Antistes , ut heri , Templum petiit, et alia persolvit . Accepit paramenta rubra , et descendit ad Faldistorium , per Diaconum fuit enunciata Oratio hac voce *Orate*, et Archipraesbyter suggessit capita Orationis . Postea Promotor petiit lectionem Constitutionum , quam Praesul fieri demandavit. Per Dominum Vicarium Generalem fuit liber de more praesentatus, quem tradidit Secretario , et legit quae mane remanserant usque ad finem secundae Sessionis . Tunc repetita fuit ut heri petitio punitionis absentium , perscriptionis horae cras conveniendi , et dimissionis praesentium . Pontifex decrevit puniri absentes , et omnes cras hora XIII. huc redituros , et potissimum proposuit Missam solemniter pro gra-

tiarum actione peragere: et demum omnibus licere ad hospitia reverti. Ipse vero benedixit Synodum, Sacris Vestibus exutus et Cappa reinduta, cum solito Comitatu in Domum rediit.

SESSIO III.
HABITA DIE 10 SEPTEMBRIS 1834.

Hora XIII. Antistes cum consueto comitatu venit in Templum omnia juxta solitum adimplevit; intonavit in Sede Nonam; interim preces ad Missam legit, accepit, ut moris est, Sacra Paramenta, et Orationem cantavit. Tum dimissis Pluviali, et Tunicella, Dalmatica, et aliis, ad Aram ornatus venit, Missamque pro gratiarum actione ob Synodum feliciter prosecutam perfecit. Finita Missa deposuit ejus Paramenta, et accepto Pluviali rubro, gratiisque relatis, venit ad Faldistorium. Heic Diaconus intonavit » *Orate* » et tunc omnes genuflexi orarunt, Capita orationis suggerente Archipresbytero, qua finita, Subdiaconus Canonicus praeintonavit Episcopo antiphonam » *Exaudi* » inde Psalmus » *Salvum fac Deus* » fuit decantatus, et repetita Antiphona Praesul Orationes cantavit. A Diacono Evangelium fuit annuntiatum, quo osculato, et dein Episcopus thurificatus intonavit Hymnum » *Veni Creator Spiritus* » quo finito, Archipresbyter Vejani instituit eleganti stylo latino idiomate contextam Orationem, eaque completa, Praesul dixit sermonem « *Venerabiles Fratres.*

Promotor vero accedens petiit » *Excellentissime ac Reverendissime Pater, quoniam, Constitutiones tertiae Sessionis legendae supersunt ego* Joannes Canonicus Barrese, *Promotor Synodi, reverenter peto Earum demandari devulgatio-*

nem , omni meliori modo » Antistes respondit » *Legantur* » Librum accepit a D. Vicario Generali Secretario tradidit , et Eas legit .

Cum hora tardior esset , Promotore instante , fuit decreta absentium mulctatio , horae continuationis Synodi , scilicet XXI , praescriptio , et praesentium dimissio . Et data Benedictione , depositis Ornamentis , Antistes , resumpta Cappa , comitantibus Capitulo , et Seminario , in Episcopium revertit .

CONTINUATIO III. SESSIONIS.

Hora praescripta , quae fuit XXI , Antistes venit in Cathedrali , et omnibus absolutis , ut in praeteritis diebus , Promotor institit .

Excellentissime, ac Reverendissime Pater, nonnullae cum supersint evulgandae Synodi Constitutiones , *ego* Canonicus Barrese *illius Promotor* , *humiliter peto, earum lectionem perfici* » Praesul respondit » *Legantur* » Librum a Domino Vicario Generali accepit , et Secretario tradidit, qui eas usque ad finem legit . Finita lectione, Episcopus ad Synodum conversus inquit » *Venerabiles Fratres amplectimini haec omnia? et placentne vobis?*

Universa Synodus , respondit » *Amplectimur* , *et Placent* , *Placent*.

Tunc Praesul dixit Orationem » *Nulla est Domine* » et praeintonante ultimo Canonico Hymnum » *Te Deum laudamus* » illo decantato , addidit Orationes de gratiarum actione .

Deinde Praesul osculum Pacis praebuit Domino Vicario Generali, postea Presbytero assistenti , qui pacem dedit omnibus de Capitulo; successive Archipresbytero Ecclesiae Saponariae, qui eam dedit caeteris Archipresbyteris ; demum antiquiori ex

conventis de Civitate et Dioecesi, qui Illam reliquis cunctis dederunt.

Tunc Excellentissimus, ac Reverendissimus Dominus Synodum subscripsit, et post Eum omnes Dignitates, Canonici, Archipresbyteri, et alii quibus competebat.

Tunc Promotor institit » *Excellentissime, ac Revendissime Pater, ad majorem Dei laudem universa Synodus plaudens Decreta subscripsit, ego igitur illius Promotor reverenter peto Decretum conclusionis, et dimissionis* » Praesul respondit » *Legatur Decretum Conclusionis, et Dimissionis* » Secretarius legit.

Ad laudem Dei Omnipotentis, Beatissimae Virginis Mariae sine macula Conceptae, ac in Coelum gloriose Assumptae, et Sanctorum Martyrum Januarii Episcopi, Georgii, et Augustalis, aliorumque Sanctorum Patronorum, Synodum decernimus absolutam, atque dimissam, adeoque omnibus domum suam repetendi licentiam facimus. Omnes nihilominus, quantum possumus, hortamur, ut quae hac in Synodo decreta sunt, tali pacto studeant fideliter, et ad amussim exequi, ut omnis Populus Cleri sanctitatem demiratus ab eo Divini honoris, et morum honestatis, et Christianae cariatis exempla accipiat. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Tunc Pontifex intonavit « *Sit nomen Domini etc.* et Synodo benedixit. Diaconus vero, qui a dextris Ejus erat, cum cantu dixit » *Recedamus in pace*, et Universa Synodus respondit. « *Jn nomine J. C. Amen.*

Ante discessionem, Episcopo, et Synodo remanente, Notarii subscripsere. — Ille mandavit mihi *Joanni Can. Blasi* Notario, et Collegae Con-

notario *Canonico Francisco Xaverio Piscopia*. Nos ambo, ut ad futuram memoriam omnium hujusmodi publicum faceremus actum, eumque fecimus, atque publicavimus in ipsa Cathedrali Ecclesia, sub titulo SS. Virginis Mariae in Coelum gloriose Assumptae, et S. Georgii M., die postrema Synodi X. Septembris 1834, SS. Domini Nostri Gregorii Papae XVI. Anno IV., Praesulatus autem Excellentissimi, ac Reverendis. Domini Petri Ignatii Marolda Congregationis SS. Redemptoris, Episcopi Marsicensis et Potentini, Anno XIII., praesentibus pro Testibus, D. Joanne Baptista de Pietro Justitiam in hac Civitate gerente; D. Nicolao Barrese ejusdem; et D. Dominico Tafuri Dioecesanae Regio Procuratore, aliisque.



DISCORSO PASTORALE

FATTO

DALL' ECCELLENTISSIMO, E REVERENDISSIMO

VESCOVO

nel dì 8 Settembre 1834.

AL SUO SINODO DI MARSICO.

Venit Moyses, et convocatis Majoribus natu Populi, exposuit omnes Sermones, quos mandaverat Dominus. Exod. XIX. ver. 7.

Avendo Dio liberato il suo Popolo dalla dura schiavitù di Egitto volle, che accampato si fosse alle falde del Sinai nel deserto, ed ivi avesse Mosè radunati i Seniori del Popolo; volle che loro rammentasse i prodigii, e portenti fatti in Egitto, per toglierlo dalla barbara prigionia, in cui gemevano, ed insieme manifestasse loro le Sue Leggi, e quanto aveva Egli disposto, affinchè avessero potuto godere della Sua Divina protezione, sino a prometter loro: *eritis mihi in peculium de cunctis Populis. Eritis Mihi in Regnum Sacerdotale, et*

Gens Sancta (1). Sono a Voi note le critiche circostanze della Chiesa per l'infelicità de' tempi, e per le tristi epoche, da non rammentarsi, e se fosse possibile, da cancellarsi dalla memoria dell' uomo; quando la Navicella di Pietro scossa si vide, e se Colui, che comanda a' venti, ed alle tempeste non avesse opposto il Suo potente Braccio, per sostenere l' Opera Sua, vittima sarebbe caduta delle acque dell' empietà. — Videro però gli occhi Nostri la rilasciatezza de' costumi, ed il libertinaggio cagionato ne' Popoli, il quale ardì penetrare anche nel Tempio Santo, e nel Clero, per cui vedemmo la disciplina rilasciata, il Sacro Ministero avvilito, e quasi del tutto spento lo zelo della Gloria di Gesù Cristo, e della salute delle anime: nè senza lagrime ci spettava ripetere col Salmista Reale: *Omnes declinaverunt: inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (2). Piacque in fine alla Divina Provvidenza tra Suoi portenti, e quando speranza umana non riluceva, toglierci dalle tante angustie, che ci opprimevano: a tutti restituì la calma, il decoro alla Sua Chiesa, ai popoli l' ordine, e la tranquillità, pace, e sicurezza a tutti i cuori.

Quantunque in tutti gli anni scorsi non abbiamo mancato palesare, e richiamare alla memoria e del Nostro dilettissimo Clero, e de' popoli di questa Diocesi alla Nostra debolezza affidati, quei Sacrosanti doveri, che ci assistono, ravvivare e colla voce, e colle Pastorali in ogni cuore lo Spirito del Vangelo, e con Nostri Editti, e Visite annuali ristorar la Disciplina Ecclesiastica; era non però

---

(1) *Exod.* 19.
(2) *Psalm.* 13 *v.* 3.

necessario convocare, e radunare i Seniori del Popolo, quali sono le Dignità, e Canonici, che formano il Nostro decoroso Senato, gli Arcipreti, e Curati, i quali sono a parte della Nostra Cura, e quanti sono dell' intiero Clero della Città, e Diocesi, quali Nostri collaboratori, ed in questo Sacro Sinodo esporre loro quelle Leggi venerande, che riguardano la Nostra Sacrosanta Religione, l' Amministrazione, e ricezione de' Sacramenti da Cristo Gesù instituiti, la riforma in fine, e disciplina degli Ecclesiastici; Leggi, di cui Voi stessi siete con Noi i Dottori, i Custodi, ed i Promulgatori; Leggi, che debbono formare il Nostro doppio Spirito, ed il luminoso decoro: *Labia Sacerdotis*, disse il Profeta, *custodient Scientiam, et Legem de ore ejus requirent* (1). Di tale Spirito ripieni, ed animati dobbiamo uscire da questa Santa Unione nel S. Spirito, e nel Nome di Gesù Cristo formata, per communicarlo a' Popoli Nostri, nonchè coll'esempio proccurare la riforma del pubblico costume, l' osservanza della Legge del Signore, e della Chiesa, l' ubbidienza, e fedeltà dovuta al Sommo Gerarca Vicario di Cristo in terra, ed all' Augusto Sovrano, nel quale riluce la Maestà, che Dio gli ha partecipata, onde venerato l' Altare, ed il Trono, possano provenire a Noi, ed a' Popoli tutte le prosperità, e Benedizioni, ed avverarsi anche di Noi presso Dio: *Eritis Mihi in peculium de cunctis populis* . . . *in Regnum Sacerdotale*: *Gens Sancta*.

Ad ottenere un sì importante risultato non può darsi mezzo più proprio, come scrisse Leone I.° ad Anastasio, che celebrare i Sinodi spesso spesso, ed in sì Sante Società distruggersi il Regno

---

(1) *Malach. II. 7.*

del peccato. *Quod melius*, sono le sue parole, *omnis culpa vitabitur*, *si inter Sacerdotes Domini Collatio frequentior habeatur*, *et quod emendationi*, *et Charitati plurimum praestat adunata societas*. Ed in fatti di tale mezzo s'intese l'importanza in tutti i tempi dalla Chiesa; cosicchè i Padri sempre si valsero de' Concilii, e de' Sinodi, non parliamo già de' Generali, ed Ecumenici, i quali sono quali baluardi della nostra Religione, ma de' Nazionali, Provinciali, e Diocesani, ad oggetto di conservare l'integrità della Fede, per abbattere qualche errore, che cominciasse a serpeggiare, per raffrenar la dissolutezza de'costumi, e communicando fra loro i Santi Sentimenti, e voti del cuore, sempre più stabilirono, ed illustrarono il decoro della Casa del Signore, lo splendore dello Stato Ecclesiastico, e la dignità dell' Ordine Sacerdotale.

E chi mai non conosce sì grandi vantaggi alla Chiesa provenuti da tali Sacre Adunanze? Soltanto sarà per non conoscerli colui, che per poco si farà dominare dallo spirito privato, e da particolari, vane, e terrene pretensioni. — Coll' essersi da più tempo implorata l' assistenza dell' almo Spirito, coll' avere umiliato il nostro spirito al Padre de'Lumi, quelle sanzioni si detteranno, che serviranno a richiamare i cuori traviati, ad allontanare le false opinioni, i sentimenti libertini, e per servirci della frase dell' Apostolo Pietro, metterci in quel retto sentiero, nel quale *certam vocationem nostram*, *et electionem faciemus*. Devesi però con modo particolare in tale occasione avverare, che *in Domo Dei ambulantes cum consensu*, felicissimo, ed utilissimo ne sia l' esito, ed il compimento. — In questo S. Sinodo non dobbiamo certamente trattare di Leg-

gi, che appartengono allo Stato, nè dei particolari dritti delle varie Chiese di questa Nostra Diocesi, e molto meno d' interessi mondani; bensì di affari, che riguardano la Sacrosanta Nostra Religione, il costume degli Ecclesiastici, e la Santificazione delle Anime. Dobbiamo dar riparo agli abusi colla corruzione del secolo nelle Nostre Chiese, nella Disciplina, e nel Popolo introdotti, onde si vegga semprepiù fiorire la pace nelle famiglie, nel Popolo la concordia, la tranquillità dell' ordine pubblico, la subordinazione alle Leggi, ed alle Potestà costituite, la fedeltà, il rispetto, e l' attaccamento all' Altare, ed al Trono. Ognuno in questa Sacra Adunanza deve sentirsi animato da un Santo zelo per eliminarsi il veleno, che da uomini dominati dallo spirito delle tenebre si è cercato spargere per corrompere la mente, ed il cuore de' Popoli, e piacesse al Cielo, e non ancora si diffondesse per così dare un crollo a quanto è di Sacro, e di civile, come non ha guari si è tentato fare da quello infelice, e cieco al lume della verità col liberçolo intitolato « *Parole di un Credente* » voglia Dio illuminarlo, e ricondurlo, alla verità.

Se l' uomo mantenuto si fosse in quella rettitudine, in cui fu creato, certamente non avrebbe avuto bisogno di altri mezzi per conoscere, e conservare la verità, e la giustizia. Ed in vero tutta Santa, e retta sarebbe stata la sua ragione, e questa dalla Grazia vieppiù illustrata, e corroborata, le passioni tutte senza il minimo disordine, anzi ben regolate, ed alla ragione subordinate, non avrebbe egli miseramente abbandonate le vie della verità, nè sarebbe nel baratro de' vizii precipitato. — La sola volontà di Dio sarebbe stata la norma delle sue azioni, e come quella è Santa,

queste ancora Sante sarebbero state. — Cadde disgraziatamente colla sua disubidienza, ed eccolo nell' abisso delle miserie, il suo cuore addivenne il bersaglio delle sue ribelli passioni, che lo distraggono or ad uno, or ad altro oggetto, che lo acciecano in modo, che non più distingue il vero dal falso, anzi con facilità si fa abbagliare da' fallaci lumi del secolo, e dalle sue massime perverse. — Chi non vede la necessità di quelle leggi, per mezzo delle quali potesse reprimersi la protervia dell' uomo corrotto, e norme fossero a ben diriggerlo nell' operare, e colla di loro autorità lo rendessero, per quanto è possibile tranquillo, e felice. E donde mai nasce l' interna perfidia? Donde le sedizioni, i tumulti, le rivolte, che hanno indotta, ed inducono tuttavia la infelicità ne' popoli? Donde il pubblico disordine, e le tante calamità, che ci affiggono? Tutta l' origine si è, dacchè si è scosso, e si vuole scuotere il soave, e necessario giogo delle leggi Divine, Ecclesiastiche, e Civili, colle quali potrebbe vedersi la natura dell' uomo riformata, e non già nella depravazione, in cui tuttogiorno si vede.

Se tale è l' uomo in se stesso, che deve dalle Leggi esser manodotto, queste non avranno mai forza sopra del suo cuore, se lo Spirito della Religione non lo rende pieghevole, e docile, giusta l' Oracolo Divino, *Filii Dei docibiles*. Questo spirito non può formarsi ne' popoli, se non per mezzo di un Clero, il quale sia loro di specchio, e di modello. Gli Ecclesiastici sono i Depositarii della Religione; Essi sono i Dottori della Legge; Essi sono i Promulgatori dell' eterne Verità, nelle di loro mani sono i Sacramenti, ed Essi sono i dispensatori de' doni Celesti. — Non dobbiamo però tacere, che l' Ecclesiastico quantunque sia

del Carattere Divino adorno, e destinato a sì alti, e particolari impieghi, non cessa però di esser uomo, e quindi deve sentire le pressure dello spirito, e la ribellione delle passioni; egli non può non essere distratto dalle varie cure del mondo; anche egli è in mezzo del precipitoso torrente, da cui sono avvolti i miseri figli di Eva. — Ed è questa la ragione, per la quale compiangiamo tanti, anche ne' Nostri Cleri, i quali si allontanano da quelle Sacrosante Leggi della Chiesa, da quella esatta disciplina, e da quello Spirito, di cui dovrebbero essere ripieni, e che li dovrebbe far comparire come tanti Dei sulla terra. Non vediamo forse di tanti il costume, se non depravato, in una certa scioltezza almeno, la di loro vita non Celeste, ma terrena, il servizio dovuto alla Chiesa trascurato, decaduta l' Amministrazione de' Sacramenti, mancante l' istruzione de' Fedeli? — Quale altro mezzo ci rimane, se non a somiglianza di Mosè radunando i Seniori, come quelli, che più davvicino sono Nostri Collaboratori nella cura delle Anime, e seco loro conferendo, pubblicare delle Leggi Sinodali, con cui ristorandosi lo Spirito Ecclesiastico, ed eliminandosi gli abusi introdotti, si potesse vedere la riforma di ogni Clero, e quindi si restituisse alla Casa di Dio il suo decoro, i Popoli istruiti nella Scienza de' Santi, e formato il di loro cuore docile, ed alle Leggi subordinato, rifiorisse il costume, e la vita de' primi Cristiani?

Sin dal tempo degli Apostoli si conobbe la necessità di simili Sante Unioni; nè altrimenti si tolse il dissidio a causa delle Legali Cerimonie insorto. Gli antichi Padri della Chiesa così ammaestrati, de' Sinodi si valsero, per mantenere l'incolumità della Chiesa, per abbattere gli errori,

e per stabilire delle Leggi, colle quali i buoni fossero ben diretti, ed i cattivi per mezzo delle pene, o si ravvedessero, ovvero fossero proibiti col di loro pessimo esempio far strage delle anime, e col di loro veleno infettarle. Scrisse però S. Ambrogio: *Lex non justo est posita, sed injusto, quia justus Legem habet mentis suae, et aequitatis, ac justitiae suae normam, adeoque non terrore poenae revocatur a culpa, sed honestatis regula* (1). Da questo sentimento animato il Nostro cuore, siamo in mezzo a Voi, venerabili Sacerdoti, non per dettare Leggi nuove, ma per ricordare quelle, che formano lo Spirito della Chiesa, e che riguardano la Santa Religione, i Sacramenti da Gesù Cristo istituiti, e lasciati come tanti fonti di Grazie, la vita, e l' onestà di ogni Ecclesiastico. — Non per dettare pene, ma piuttosto per sgravarvi da quelle, che negli antichi Sinodi sono forse fulminate con troppa severità, e confidiamo, che tutti animati dallo Spirito della Verità, e della Giustizia, senza aver bisogno d' imporre pene, niuno voglia esservi, che non s' induca all' adempimento de' propri doveri.

Non è da dubitarsi, che la diversità de' tempi porta puranche la diversità delle Leggi, che appartengono alla Disciplina. Talune forse debbono esser più severe, e talune più miti, ad altre debbono forse aggiungersi, ed altre diminuirsi, secondo la necessità richiede. Sembra quindi, che tale sia stata la mente del Sacro Concilio di Trento, che dispone (2) doversi celebrare in ogni anno i Sinodi Diocesani. E non vediamo Noi tuttogiorno le mutazioni anche nelle Leggi Civili, le quali

(1) *Offic. Lib. III. Cap.* 9.
(2) *Sess. XXIV. C.* 2 *de Reform.*

si rinnovano, ovvero si cambiano, sia per l' indole de' varii luoghi, sia per la diversità dei costumi, e piacesse a Dio, e non vi si unisse ancora la perversità, che colle Leggi devesi impedire, onde il torrente del disordine non apporti una irreparabile rovina! E che forse non dobbiamo similmente pensare per quelle Leggi, che debbono santificare il nostro costume; che debbono far rifiorire nel Clero, e nel Popolo il Culto Divino, la Santa Disciplina, ed il decoro della Chiesa? Lo stesso Dio Ottimo Massimo, riflette il Nazianzeno (1), come Maestro, e Medico pietoso volle similmente curare i patrii riti del Giudaico Popolo, parte ne tolse, e parte ne aggiunse; alcuni ne moderò, ed altri ne restrinse. Sono già scorsi due secoli, dacchè in questa Nostra Chiesa non si sono de' Sinodi celebrati, e soltanto è a Nostra conoscenza quello tenuto dal Chiarissimo Nostro Antecessore Monsignor Ciantes di S. memoria, nell' anno 1644. Ivi leggiamo Costituzioni, e Leggi alle circostanze, ed a' costumi di quel tempo analoghe. Leggi, che tendono al ristabilimento della Disciplina Ecclesiastica, al Divino Culto, all' Amministrazione de' Sacramenti, ed a correggere il pubblico costume, Queste Noi seguiremo, rinnovandone la memoria, che per l' antichità se n' era perduta. Queste Noi adatteremo alle Leggi vigenti, specialmente per mezzo de' Concordati tra la S. Sede, ed il Nostro Sovrano stabilite, e soltanto toglieremo la severità delle pene, e delle multe in esso S. Sinodo credute necessarie emettersi, ed imporsi. Vero è che per le tristi epoche, nelle quali si è trovata la Chiesa, per cui molto e la Discipli-

(1) *Orat.* 37.

na Ecclesiastica, ed il pubblico costume si osservano decaduti, anche il rigore, e la severità dovrebbero apporvi il riparo tanto necessario. Noi però, fidando nello Spirito buono, che vi anima, e nell'impegno, che fra lo spazio di circa tredici anni, ne' quali abbiamo il bene di essere in mezzo a Voi, avete esternato di essere sempre migliori, confidiamo che non le pene, ma l' Amore alla Virtù, il decoro dello Stato, e lo stesso Sacrosanto Carattere, che indossate, vi decideranno alla esatta osservanza delle Leggi Sinodali, ed alla particolare perfezione, che in tutti desideriamo. Possiamo augurarci, che celebrato il Santo Sinodo, sarete per ritornare ne' Paesi, quali Apostoli, e Discepoli del Redentore, ripieni del suo Santo Spirito; uscirete in maniera riformati, e Santi, che santificherete quei Fedeli con essere nella Legge del Signore, e nel costume gli esemplari, nonchè i Dottori, e Promulgatori della sua Divina Gloria, e del Suo Santo timore.

Lungi sia da Noi diversamente pensare di taluno, giacchè sarebbe lo stesso, che dichiararlo qual servo infedele, e conculcatore dell'Azione la più Santa, e Divina, che intendiamo fare. Toglierebbe, e renderebbe inefficace il mezzo più forte della Chiesa per la riforma del Clero, e del Popolo, e deciderebbe la sua eterna riprovazione. — A ciascuno però diciamo: *Qui justus est, justificetur adhuc; qui Sanctus est, sanctificetur adhuc* (1). Di niuno poi possa dirsi, anzi neppure pensarsi, che *qui in sordibus est, sordescat adhuc*. Sarebbe costui il pessimo nemico di Cristo, della Chiesa, e delle Anime. Egli solo basterebbe a distruggere l' Opera di Gesù

(1) *Apoc.* 22 11.

Cristo, ed ogni Nostra buona intenzione per la sua Chiesa. Egli solo basterebbe a far avverare il detto di Daniele, che si sarebbe veduta la desolazione di abbominazione consistente nel luogo Santo di Dio. Egli solo infetterebbe le anime, e ne farebbe strage, e macello, sino a poter piangere la Chiesa: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima* (1). *Filii Matris meae pugnaverunt contra me*, e quasi lacerando il suo seno, dovrebbe deplorare gli estinti suoi figli.

Confidiamo però in voi Dignità, e Canonici, che formate di questa Cattedra l'ornamento. Voi dovete risplendere come luce sul Monte Santo di Dio, e diffondere il lume della Dottrina, e dell'esempio in tutta la Diocesi, e l'odore delle S. Virtù: lo stesso diciamo a tutti del Clero di questa Città. Voi, come più a Noi vicini, dovete formare il Nostro decoro, che consiste nel vedersi in tutte le vostre azioni sempre più esalta la Disciplina Ecclesiastica, più frequente il servizio della Chiesa, più esemplare la vostra vita, affinchè sia in Voi con modo particolare onorificato Gesù Cristo Nostro Signore.

Confidiamo in Voi Parrochi, ed Arcipreti, come quelli, che sono strettamente uniti al Nostro Ministero Pastorale, per cui siete nel dovere di rappresentare agli occhi de' Fedeli la Nostra debole Persona. Voi dovete proccurare la salvezza di quella porzione di Gregge, che vi è stata destinata. Vi ricordiamo le ample promesse, che fa il Signore a tutti coloro, che posti sono al Ministero, ed alla Cura delle anime. Presso S. Giacomo leggiamo (2). *Qui converti fecerit pec-*

(1) 38 17.
(2) 5 v. 20.

catorem ab errore, *viae suae salvabit animam ejus a morte*, che nell' originale Greco si legge *animam suam*, *et operiet multitudinem peccatorum*. — E presso Daniello (1) ci si dice: *Qui ad Justitiam erudiunt multos*, *fulgebunt*, *sicut stellae*, *in perpetuas aeternitates*.

Confidiamo in voi Cantori, e Vicarii Foranei, ne' primi come dalla Chiesa particolarmente onorati, negli altri, come in quelli, che per uffizio debbono vegliare sulla Disciplina del Clero, dei costumi Ecclesiastici, e de' Nostri Editti. Sarebbe vana ogni Nostra premura, ed ogni buona disposizione, se i Custodi dormissero, e non s' incaricassero dell' esecuzione di essi. Ad ognuno diciamo con S. Isidoro, servendoci delle parole di Ezechiello (2). *Speculatorem dedi te domui Israel. Si non fueris locutus*, *ut se custodiat impius a via sua mala*, *ille in iniquitate sua morietur*, *Sanguinem autem ejus de manu tua requiram*.

Confidiamo in fine in tutti i Componenti di questo S. Sinodo. Quanti voi siete, dovete essere i banditori delle leggi Sinodali, ed i primi esecutori, in guisa tale, che come si esprime S. Bernardo (3) *nihil novitatis*, *nihil superfluitatis*, *nihil vanitatis*, *nihil quod. pertineat ad superbiam*, *et vanam gloriam*, devesi in Voi ravvisare. Anzi intieramente riformati, dovete cooperarvi, come lo è di dovere, *ad consummationem Sanctorum*, *in Opus Ministerii*, *ad aedificationem Corporis Christi* (4). Col vostro esempio, e colla

(1) 12 *v*. 3.
(2) *Lib*. 3 *Sententiar*.
(3) *De mod. viv. N*. 5, 6.
(4) *Ad Ephes* 5.

vita Santa dovete talmente insinuarvi nel cuore de' Fedeli, che come dice la Chiesa, *una sit Fides mentium*, *et una Pietas actionum*. Così Clero, e Popolo animati dallo stesso Spirito di Nostra Sacrosanta Religione, potessimo glorificare il Nostro Signore Gesù Cristo, cui sia Onore, Gloria, e Benedizioni eterne. — La Pace di Dio Padre col Divino Figliuolo, e la Communicazione del S. Spirito sia ne' nostri cuori.

ORATIO

Habita die 9 mensis Septembris Anni 1834.

IN SECUNDA SYNODI SESSIONE

A REVERENDISSIMO DOMINO

JACOBO ANTONIO CANONICO ROSSI

VICARIO GENERALI.

Vocate Coetum, congregate Populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate Senes.
In II. Joel Proph.

Conventientibus Nobis in unum, Fratres in Domino dilectissimi, venerabiles Consacerdotes, jam non est humana consilia pertractare, saecularibus providere negotiis, loquimur sed sapientiam inter Perfectos, sapientiam vero non hujus saeculi, neque hujus creationis, sed sapientiam, quae abscondita est in Mysterio: Ipse enim Deus omnia fecit in sua sapientia, quam possedit in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio, ab aeterno ordinata, antequam Terra fieret, aut formaretur Orbis; et ex tunc, Ipsa cum filiis hominum suas habuit daelicias, quarum ergo, licet per unum Hominem peccatum introisset in mundum, et per peccatum mors, in quo omnes peccaverunt, per Unum Hominem, Jesum

Christum , Verbum Caro factum , vita , in quo omnes vivificabuntur : natus est homo , ut homo fieret Deus; Natus est in tempore , ut homo nasceretur in aeternitate: Natus est in carne , ut homo nasceretur Spiritu : Factus est ex muliere , ut homo desineret Filium esse mulieris : Sed in principio erat Verbum , et Verbum erat apud Deum , et Deus erat Verbum , humanae substantiae dignitatem mirabiliter , per se in tempore conditam , mirabilius quoque temporis in plenitudine reformavit , aedificavitque sibi Domum , Catholicam scilicet Ecclesiam , excidit columnas septem, septem scilicet Sacramenta , quibus Fides innititur viva , ut in hesterna Sessione , quibus non secus spiritualis vita reparatur, sicut corporalis totidem indiget rebus ad sui perfectionem. Renascuntur etenim , primo , Fideles per lavacrum Regenerationis , et Renovationis Spiritus Sancti , libertate donati Filiorum Dei , ut Israelitae olim per aquas Eritrei , justificati in sanguine Christi: Salvi fiunt ab ira per ipsum : Nisi quis renatus fuerit ex aqua , et Spiritu Sancto non intrabit in Regnum Coelorum. Nihil damnationis est ira Iis , qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma. Spiritus vero ille , qui Creationis ab initio ferebatur super aquas , quae Arcam liberarunt Noe in diluvio , per columbam typo virentis olivae , foedus Dei confirmavit , Spiritu unctionis Sancto , ut , et secundo , in vita etiam spirituali confirmat Fideles , et roborat ad agonem ; Imponebant super eos manus, Apostoli , et accipiebant Spiritum Sanctum ; Ipsamet , tertio , Dei sapientia , Sacerdos in aeternum secundum Ordinem Melchisedech, cum dilexisset Suos , in finem dilexit Eos : divitias amoris sui velut effudit ; panem , et vinum obtulit , ineffabile pignus amoris sui ; immolavit

victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam: Sacram synaxim, et ait, venite comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui Vobis; hoc est Corpus meum; hic est Sanguis meus; bibite, et inebriamini, carissimi: qui manducat meam Carnem in me manet, et Ego in eo, non morietur in aeternum, hoc facite in meam commemorationem: Heu ineffabile Divinae Sapientiae Sacramentum! Paravit mensam in dulcedine sua Pauperi Deus. Per cibum mors propinata, per cibum et vita reparata: Isto cibo animae pascuntur, nutriuntur, adolescunt, consortes efficiuntur Divinae Naturae.

Dives in misericordia Deus, cognoscens figmentum Nostrum, paravit et Fidelibus lapsis emplastra salutis, aegrotis vulneratis: Sanctum exomologesim Jesus Christus meritum mortis suae applicuit, ut salutem denuo perditam, quarto efficaci remedio, recuperetur: Leprosos Sacerdotibus remisit, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, ac ut in corporis infirmitate Fatiscentibus, vires reficerentur, alleviaret eos Dominus; ac si in peccatis essent remitterentur Eis, Oratione ungendo Eos oleo in Nomine Domini, quinto salutari Beneficio providit.

Sed licet Christus, assistens Pontifex futurorum bonorum, eo quod maneat in aeternum sempiternum habeat sacerdotium, in eo non habet successores, idcirco plures facti sunt Sacerdotes, quia morte prohiberentur permanere, et id sexto, Sacra Ordinatio suppeditat: Ecclesia enim absque Hierarchia stare nequit militando, si Hierarchia gaudet triunphando: verum Ministri ipsi, sicut et Fideles, nullo modo essent, nisi Genus servaretur humanum, ac Filii in Religione non educarentur, mutua ac indissolubili animorum, cor-

porumve unione. Magnum revera est in Christo, et in Ecclesia septimum hoc Sacramentum, hypostatica in unione Divinae Naturae, et humanae, proprie in unitatem Personae Divinae a Verbo, in temporis plenitudine, assumptae. Jesus Christus quod semel assumpsit, nunquam dimisit, et vir non dimittet uxorem suam quacumque ex causa. Dilexit Christus Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro Ea: Ima summis copulavit. Fecit utraque unum, medium parietem solvens, duos condidit in semetipso, in Unum novum Hominem faciens pacem, reconciliavit ambos in uno corpore: quod fuit, tamen permansit, quod non erat assumpsit, non commixtionem passus, neque divisionem.

Benedictus Deus, et Pater Domini Nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo, sicut elegit nos in Ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti, et immaculati in conspectu ejus in caritate, qui praedestinavit nos in adoptionem Filiorum, secundum propositum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, cum essemus mortui peccatis, convivificavit Nos in Ipso, et conresuscitavit, ut ostenderet in saeculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae.

His abundantibus gratiae suae divitiis, Sacramentis novae Legis, hodierna Sessione prospicitur, serenis sub auspiciis Amplissimi Nostri Praesulis; qui sicut Sapientia clamitat in plateis, sic et Ipse hanc per Civitatem, et Dioecesim, ad mensem retro, Synodi indictione clamitavit « *Vocate Coetum, Congregate Populum, Sanctificate Ecclesiam, coadunate Senes* » ad praedi-

candas has ipsas gratiae suae divitias, quas discessurus ex hoc Mundo, ac reversurus ad Patrem, cujus de sinu nunquam discessit, Apostolis, et Discipulis suis, ac praecipue Petro, Eorumque in Sacerdotio Successoribus, peramanter concredidit Redemptor Nostri generis, Jesus Christus « *data est mihi omnis potestas*, dicendo, *in Coelo, et in Terra*; *sicut misit Me Pater, et Ego mitto Vos.*

Benedictus et in Saecula Deus, cujus natura bonitas, qui in Ecclesia Sua posuit quosdam Apostolos, quosdam Evangelistas, alios vero Prophetas, Pastores, et Doctores ad opus ministerii, in aedificationem Corporis Christi, dedit et nos ipsos in cultu Tabernaculi Foederis servientes, ex hominibus assumptos, et pro hominibus constitutos, ut offeramus dona, et Sacrificia pro peccatis, ac condolere possimus omnes, qui ignorant, et errant, quoniam et nos ipsi circumdati sumus infirmitate, sortiti tamen sortem ministerii illius, ut, quod in Grege infirmum est consolidemus, quod aegrotum sanemus, quod confractum alligemus, et quod abjectum reducemus, ne ipse Pastor aeternus animarum Gregem suum requirat de manibus nostris: quisque ideo nostrum, tamquam dispensator, fidelis servus, et prudens a Domino constitutus super Familiam suam, ut det illis cibum in tempore, sicut accepit donum in alterutrum administrantes, velut boni dispensatores multiformis gratiae Dei. Commune votum, commune studium, communis cura, ac solicitudo communis; Fideles, quae sursum sunt quaerant, quae sursum sunt sapiant, ubi Christus est in dextera Dei sedens, non quae super Terram, non habemus hic manentem Civitatem, sed futuram inquirimus: nostra conversatio in Coelis est; si sal

Terrae sumus, ut noncupamur, condamus et Fidelium corda coelesti sapore virtutum: si lux mundi, illuminemus lumine lucis verae, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum, quia lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt, donec aspiret dies, et inclinentur umbrae, et Lucifer oriatur in cordibus nostris.

Redempti interim ex vana nostra conversatione Paternae haereditatis, sanguine, quasi immaculati Agni, Christi Jesu, si gratis venundati fuimus, sine argento redimemur: Eramus aliquando sub Pedagogo, nunc in libertatem Filiorum Dei, sub Pastore, et Episcopo animarum nostrarum; Mosaycis quoniam Sacramentis, in morte Christi veli conscissione oblatis, et ideo oblatis, quia impletis, egena, et nuda elementa, imo mortifera, gratiam, quam promittebant minus dabant, nostra successere Sacramenta, jam nati mediatoris Symbola praeferentia: mutatio vero in Symbolis, et signis, non fide, licet in nostris expressior, et clarior: vetera, senectutis, sterilis arentia ubera, quae lactare, ac nutrire nequibant; sed nova, quam continent, et plenam conferunt, et reapse dant gratiam, ex opere operato. Si ministratio mortis, quae evacuatur, fuit in gloria, multo magis ministratio Spiritus, quae manet, erit in gloria: deriventur igitur fontes nostri foras, et in Plateis aquas nostras dividamus. Si quis sitit veniat, et bibat cum laetitia, ac de ventre ejus fluant aquae vivae, in vitam aeternam salientes, et Nos haurientes aquas in gaudio de his fontibus Salvatoris Sancta Sanctis ministremus in conscientia pura, et fide non ficta. Adhaereat lingua nostra faucibus nostris, et non demus Sanctum canibus, et ponamus margaritas nostras ante porcos, ne forte

proterant eas pedibus suis, et conversi conculcent Nos. Sine ulla Personarum acceptione, deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nostrum certamen, aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta. Annuntiemus inter Gentes studia ejus: notum faciamus in Populis, quae sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum, scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi ipsis in Sacramentis, ac praecipue singulorum gratiam respective sacramentalem, quae jure merito res Sacramenti praedicatur.

Seminantes bonum semen, non deficientes, metemus, tempore accepto, non deficientes. Euntes eamus flentes mittentes semina nostra, et sic revertentes revertemur cum exultatione, portantes manipulos nostros; qui seminant in carne, de carne metent corruptionem, qui autem seminant in Spiritu, de Spiritu metent vitam aeternam. Si bene ministramus, bonum gradum Nobis acquirimus meritorum ad vitam aeternam. Providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie: neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti Gregis ex animo, ut cum apparuerit Princeps Pastorum percipiamus immarcescibilem gloriae coronam, ac quisque bono ex propriae conscientiae testimonio, in gaudio pleno erumpat «bonum certamen certavi, cursam consummavi, fidem servavi». Pro Christi legatione fungimur, adimpleamus, quae desunt Passioni ejus in carne nostra, manus admoventes operi, quod dedit ei Pater, ut faceret, electi, et positi ab Illo, ut fructum afferamus, et fructus nôster maneat, zelando zelum Domini, Pedissequi velut ardentis-

simi nostri Praesulis Antesignani, quem intra concaluit cor in Laudem Christi sui, Fidelium ad salutem, ut nemo obliviscatur gratiam Fidejussoris sui: posuit enim pro Nobis animam suam. Qui non amat Dominum Jesum Christum, sit anatema-maranatha, sed una mente, uno corde, uno ore honorificetur Deus, qui est super omnia benedictus in saecula. Jesus Christus heri, et hodie, Ipse et in saecula: Doctrinis variis, et peregrinis nemo abducatur, vel per philosophiam, et inanem fallaciam seducetur, nec doctas fabulas sequuti notam faciamus in Populis Domini nostri Jesu Christi virtutem: Bonum est gratia stabilire cor non voluptatibus illicitis, cum non sit nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem, sed adversus Mundi Principes, Rectores tenebrarum, harum: tenebrarum, inquam, quibus non semel, et iterum, sed saepe saepius anathema ex Vaticano, ad custodiendum fidei depositum, cui, et Reges, publicam ob tranquillitatem, suis quoque legibus plauserunt, potenter intonuit; Subintroierunt quidam enim, qui olim praescripti sunt in hoc judicium, Dominationem spernentes, Majestatem blasphemantes, Dei gratiam transferentes in luxuriam, quaecumque ignorant blasphemant, quaecumque autem tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur: Vae illis, qui in via Cain abierunt! Insurrexerunt filii in ipsam Matrem, sacrilego prorsus ausu; utinam, et non adhuc insurgant, infernali cum Antiocho, mysticam contra Jerusalem conclamantes « exinanite exinanite usque ad fundamentum in ea ». Quo, non ex minimis perfidi, multa febre phrenetici, qui suis inscrutationibus defecerunt scrutantes scrutinio, ac atrocius, ac vulnus intolerabilius; alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, loquuti sunt falsa.

Heu! per Encyclicam, Petri Successor, proxime datam, septimo Xalendas Julias, apud S. Petrum, intimo cordis merore, ipse in fide non deficiens, conversus aliquando, Fratrem suum, ut confirmaret, quem Spiritus S. posuerat Episcopum Rhedonensem, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo: erravit, licet Pastor, sicut ovis, quae periit: positus custos in vineis, vineam suam non custodivit. In pace amaritudo amarissima. Filii matris pugnaverunt contra eam.

Filii Sion inclyti, amicti auro primo conversi sunt in vasa testea, opus manuum Figuli. Qui habitabant in croceis amplexati sunt stercora; Erant ex nobis, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum; sed ideo non permanserunt nobiscum, quia non erant ex nobis. Induamus igitur pro thorace justitiam, et accipiamus pro galea judicium certum, sumentes scutum Fidei, in quo possimus omnia tela Nequissimi extinquere cum gladio spiritus, quod est verbum Dei, aemulatores extantes, nunquam satis laudatissimi praesidentis Episcopi, qui scrutando Jerusalem in lucernis, ceu Custos super muros ejus constitutus, die, ac nocte non tacet, admonendo, increpando, opportune, importune, in omni patientia, et doctrina. Est revera tempus, cum sana doctrina non sustinetur, sed coacervantur Magistri prurientes auribus, a veritate quidem auditum avertentes, ad fabulas autem se conversi: Nos autem vigilemus, in omnibus laboremus, ministerium nostrum impleamus, opus faciamus Evangelistae, sobrii simus; orantes, et sine intermissione orantes, ut misericordiarum Pater prospiciat de Supremo Sanctuario suo, videat, et visitet vineam suam, quam plantavit dextera ejus, quia licet Sepe circumdasset eam, aedificasset in

ca turrim, torcular plantasset, tamen, cum solus calcasset torcular coelestis agricola, singularis ideo ferus, potissimum hisce diebus, depastus est eam: Pater ideo luminum det sedium suarum adsistricem sapientiam, ut secum sit, et secum laboret, Catholicae Ecclesiae Episcopo, Romano Pontifici, Christi Vicario, Gregorio XVI feliciter regnanti, per quem Petrus, cujus dignus est Successor, ad destructionem erroris, unico Dei, et hominum Mediatori, Christo Jesu, non cessat clamare quotidie, *Tu es Christus Filius Dei vivi*, una cum perdigno Antistite Nostro, Petro Ignatio Marolda, per quem Apostolicae illi Cathedrae, universae Christianitatis Centro, et Capiti, conjungimur, et comunicamus, qui a suo Beato Patre, Episcopo, ALPHONSO MARIA DE LIGORIO, et in Ecclesia gradum, et zelum Phimhees haereditatus; Eum zelus quoque Domus Dei comedit, et animarum zelo est succensus: augeatur et in dies in eo duplex Eliae spiritus, qui reputatus sit ei ad justitiam, simul cum Grege, bene sibi credito ad vitam aeternam, comparticipatam quoque invictissimo Regi Nostro FERDINANDO II. Orthodoxae Fidei acerrimo vindici, una cum pari Religione, ac pietate sibi juncta Augusta Conjuge, MARIA CHRISTINA, omni ac Regia Familia. Deus sit adjutor ejus, et Omnipotens benedicat Illi benedictionibus Coeli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum, et vulvae: dies Regis adjiciat, annos ejus usque in diem generationis, et generationis, ut queat praeliari praelia Domini Dei Sabaoth.

Impletis tandem Beatis sedibus, restauratis, sive quae in Coelis, sive quae in Terris sunt, per dignam Sacramentorum susceptionem, Divinae pietatis dona, quae manarunt ex latere Salvatoris,

in cruce dormientis, unde ostium vitae apertum, sicut per latus arcae, animae, quae non erant diluvio periturae, servatae sunt ad vitam. Arcanum secretum consummatum! Cruor aquae mixtum scaturiit, sacrae Eulogiae mixtura, ex qua, Conjux, quae de latere illo dormientis effluxit. Omnium Conditor, omnium Reparator. Vastator Angelus limites hostium sanguine linitos intrare non audet, transit sed gressus, et ita, regnum ex longinqua Regione acceptum, Populum acquisitionis, in multis fratribus, Primogenitus, Deo Patri resignabit. Tunc« non amplius de militanti hac Ecclesia, de terrestri Jerusalem» verum de electis ad Coelestem, ad triunphantem advocatis, vox indictionis erumpet, *vocate coetum*, *congregate Populum*, *sanctificate Ecclesiam*, *coadunate Senes*. Cum corruptibile hoc induerit in corruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem, tunc absorpta est mors in victoria, et dicetur ubi est, mors, victoria tua? ubi est mors stimatus tuus? Vulnerasti, dejecisti? sed vulneratus est pro nobis, qui fecit nos, et de morte sua vicit te; non opus habebimus emplastris ad salutem, non egemus signis, ac Sacramentorum symbolis, ubi videbimus omne bonum; nunc per speculum in aenigmate, tunc facie ad faciem; videbimus eum sicuti est, quoniam assimilabimus ei, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a Claritate in Claritatem, tamquam a Domini spiritu, in lumine ejus videbimus lumen; satiabimur cum apparuerit gloria ejus, quoniam implebimur ab ubertate domus suae, et torrente voluptatis suae potabit nos, et psaltemus, de bene actis in hujusmodi Synodo» sicut audivimus, sic in Civitate Domini virtutum vidimus, in Civitate Dei nostri,

Deus fundavit eam in aeternum » per Immaculatam Deiparam in Coelum Assumptam impetrata, et adjuvante gratia, in qua omnia possumus, Salvatoris nostri Jesu, per quem, in Spiritu Sancto, Regi saeculorum immortali, et invisibili, soli Deo honor, et gloria, in saecula saeculorum.

Benedictio autem Dei Patris, qui est Principium sine Principio; Gratia Dei Filii, qui est Principium Principii; et Communicatio Sancti Spiritus, qui est Principium, [1] cum Omnibus Nobis, Fratres, Amen. [1] a quo omne principium

ALLOCUTIO

habita in tertia Sessione Dioecesanae Synodi

SANCTÆ MARSICENSIS ECCLESIÆ

AB ADMODUM REVERENDO

D. HECTORE NICOLIA

TERRÆ VIGGIANI ARCHYPRESBITERO CURATO.



Inspice, et fac secundum exemplar.
Ex. XXV. 40.

I. NON sine alto quodam, Divinoque consilio factum est, Excellentissime Praesul, ut ad hanc regendam, et tutandam Ecclesiam, comuni omnium bono, maximoque cum plausu mittereris.

Quis nostrum enim tam hebes est, qui hoc non videat, cum viderit tot loculenta eximiae benignitatis, sapientiae, et fortitudinis argumenta, quae in ea administranda praebuisti! Non enim Tu rerum tuarum rationem ullo unquam tempore es prosequutus, sed uni tantummodo Officio vacans, hoc solum cordi fuit, ut Ovili nempe prospiceres, illius salutem, et custodiam prae oculis, et in manibus semper habendo. Probe etenim intellexeras, Tibi non otium, et quietem, curas potius, ac sollecitudines contigisse, quibus ipse Deus, qui uno nutu omnia moderatur, ab ineunte adolescentia voluit consuefacere, cum vix expleto quarto aetatis triennio, Te e materno deliciarum sinu proripuit, et in domo Filii Sui, ac Redemptoris nostri, consuetudinem intulit laboris, idoneumque affecit ut munus hoc pro dignitate obires. Inde enim divinos hos virtutis sensus, quos in omnibus semper praefers, expressiti, et ad coelestem hanc vivendi rationem educatus, eductusque fuisti.

II. Utinam mihi liceret, et modestia tua, quae quanta sit peroptime calles, me cuncta in medium exponere sineret quae a Te patrata sunt facinora egregia, praesertim ex quo in excelsissimam dignitatis, et honoris Sedem conscendisti. Jus attamen mihi sit, bona tua venia, si non omnia, quod certe fieri minime posset, aliqua saltem, et summatim delibare. Neque vero in animo est me velle tuis auribus inserire. Gravius omnino, sanctiusque consilium. Utilitati Ecclesiae litare studeo, ut ne cuncta silentio praetermittendo, in publica comoda peccem, neve longius a proposito recedendo, metae scopum non attingam, cum decreverim Te Clericis tuis, ubi de eorum vita, et honestate agitur, in exemplar

praebere bonorum operum. Cum enim sis hujusmodi, unde virtutum omnium documenta indubitanter peti possunt, facile fieri poterit, ut eorum aliqua explanando, hujusce Dioecesis Clerici ad tui normam dirigant mores suos, et tua exempla vitam discant instituere.

III. Sed unde exordiar, quidve primum hic commemorem, vel quae tantae virtutis exempla seligam potius quam relinquam? Dicam forsitan quomodo diu, noctuque in hoc tantummodo insudaris ut animarum auxilia comparares, idque modo fovendo virtutes, modo vitia coercendo? Sed quis tam peregrinus, et hospes, qui hoc valeat ignorare? Sat enim superque omnibus innotescit, Te nullo unquam pepercisse labori, ut mores omnium ad frugem reduceres meliorem: Factum est inde, ut neque hominis gratia, neque sanguinis splendor a Te nunquam impetrare potuerint, ut a proposito ne hilum quidem recederes, et vel flagitiorum animadversionem negligeres, vel ad impunitatem licentiae conniveres. Dicam forsitan quae mens, qui oculi, quae manus, quis animi ardor Tibi fuerint toto tempore Praesulatus tui, quid cupieris, quid optaris? Unum profecto, et neminem latet, ut omnes Christo lucrifaceres. Ille lituus, quem modo leva, modo dextera stringis manu, nunquam ab officio vacavit. Semper etenim illum opportune adhibes, trahis, regis, pungis. Abberrantes curva trahis, bene moratos recta regis, desides, inertesque parte infima pungis, quoadusque omnes ad Christi ovile, uti bonus Pastor, compelles, et colligas. Quid porro dicam quae, vel quanta fuerit illa tua cura ut Sanctimonialium excoleres disciplinam, Ecclesiastici Ordinis splendorem amplificares, Ministrorum abstinentiam augeres? Sed hoc pariter cui non notum. Si tem-

pora temporibus , nosque nobismet ipsi conferamus res pro comperto erit. Dicam , sed dicere quis valeat! Quomodo calumniatoribus , genus inter homines pessimum, adamantino pectore occurrendo. Tu unus fecisti , ne unquam possent inique cogitata perficere. Sed quid de illa tua diligentia, qua effecisti ut hujus Dioecesis Seminarium meliori formae redderetur, sic ut in eo neque laetitiam, neque elegantiam quisque amplius desideret. Notum omnibus qui norunt quale fuerit , quale sit. Denique , ut innumera alia praetermittam , hoc unum notasse juverit , quod praeterire non possum , Te videlicet omnem cogitationis mentem huc contulisse ut domus Dei decorem tuereris . Unus enimvero prae caeteris gloriari poteris dicendo « Domine dilexi decorem domus tuae , et locum habitationis gloriae tuae » Sed quid attinet haec dicere , ubi res ipsa per se loquitur? Templum hoc pro me loquatur : Templum tuis opibus , tua cura refectum. Templum tanta celeritate , tua ipsius assiduitate urgente perfectum : Templum , monumentum indelebile , quod memoriam nominis Tui immortalitati mandabit.

IV. At opus , in hoc ipso augustissimo Templo , Divino Spiritu afflante , nudius tertius incoeptum , cuique hodie , Deo dante , extremus labor est adhibendus, omnium tuorum operum praetium esse , nemini dubium esse poterit. Id unum scire sufficiat , opus hujuscemodi in hac nostra Dioecesi uno abhinc supra centum nonaginta annos , neque visum , neque auditum , nunc primum tua cura agressum fuisse , haud exterritus suo ipsum molimine grave esse. Parum Tibi erant virtutem tuam admirationis multum habituram , ni multum pariter haberet et gloriae. In hac igitur reliqua parte , in qua erat elaborandum , ut tuae

Dioecesi disciplinam restitueres, summo studio elaborasti. Hinc sub felicissimis auspiciis Domini nostri Divina providentia Papae Gregorii XVI, necnon pientissimi, ac religiosissimi Regis nostri FERDINANDI II. quibus, uti decet quotidie fausta precantur, Synodus haec Dioecesana tuo jussu indicta, Te Duce directa, Te jubente solvenda, omnium oculis se commisit; quae utpote rerum tua cura gestarum, omni procul dubio, maxima est, ita splendebit semper, nec alienis unquam sordibus, si quae fuerint, absolescet.

V. Quin potius et Tibi, et nobis gratulabitur futura aetas, cum viderit quae in hac Dioecesana Synodo per Te sancte disposita, et recta sancita erunt. Cum cernet quae de Fidei professione, de Christiana doctrina, de recta Sacramentorum administratione, caeteraque, quae in transactis Sessionibus decreta fuere. Cum aequa judicii lance librabit quae hodie de vita, et honestate Clericorum, quod ratione temporum habita, prae caeteris maxime interest, venient decernenda. Nullus enim dubito quin primo medium, medio vel discrepat imum; ac proinde arduum opus, fortiter inceptum, feliciter hodie consciere non valeas, et absolvere.

VI. Qua de re, licet etiam vellemus, dubitare certe minime possumus. Quid ni etenim? Si per Te omnia comperta habentur quae hac de re possunt dignosci? Tu enim probe nosti, Excellentissime Praesul, qualiter non sit satis quemlibet Clericorum sui ordinis simplex officium exercere, sed necesse insuper esse, ne arbitratu suo vivat, atque ab iis omnibus sibi temperet, quae vel Sacerdotium hunc affigunt, vel a misteria Dei animum, mentemque abstrahere volent. Perspectum habes, neque unquam memoria excidit, Clericos

sic vocari, vel quia sunt de sorte Domini, vel quia ipse Dominus sors, idest pars eorum est, neque Te fugit quod Hieronymus inde inferebat « Qui autem ipse pars aut Domini est, vel Dominum partem habet, talem exhibere debet, ut et ipse possideat Dominum, et possideatur a Domino » Non Te praeterit, nihil sanctius, et augustius dici, haberique posse, quam cum Christo Sacerdotio fungi : Cumque tale munus sit Clericis demandatum, eorum vitam sic comparatam esse oportere, ut omnino sancta sit, et immaculata, sic in omnibus nil nisi sanctum exibeat, et honestum. Crebro purgatam tuam personat aurem illud vere aureum Chrysostomi dictum « Sacerdotium quidem in Terra peragi, sed in rerum Coelestium classem, ordinemque esse referendum » unde idem legitime infert necesse fore » Sacerdotem sic esse purum, ut si in ipsis Coe» lis collocatus, inter Coelestes ipsas virtutes medius » staret ». Denique ne longior sim, Tu scis peroptime quaenam exigatur morum puritas in iis, quibus in sortem Domini vocatis, aliena salus concreditur, quorum proinde erit aliis in istituenda vita suo exemplo praelucere. Verbo, nosti quae Clericis sint praecepta, quae iisdem sint prohibita, ut eorum vita populo esse possit eruditio, et assidua salutis praedicatio, et ne qui in aedificationem sunt positi, in offendiculo convertantur.

VII. Quae res cum ita se haberet, Te humiliter oro, enixeque obtestor, Amplissime Praesul, Te inquam, qui Apostolis docentibus, spernere quae nosti non potes, quae, Christo loquente audisti, non potes non loqui : Te commendaturum animarum salutem maximopere anhelantem ; sic istam dirigas tertiam Sessionem, ut deinceps Clerici Tuae curae commissi, mores suos ad sanctissimas has

doctrinas componere studeant. Ita age, ut iidem optimo utantur consilio, et prudentum vestigia sequi velint; nec unquam alea, vino, comessationibus, voluptate res sanctissimas profusa largitione velint dissipare. Ut in externis etiam actionibus, pariter ac in corporis cultu honestatem exprimant, et decorem, ne quis sit, qui aliquid habeat dicere de eis, cum viderit vitae sanctitati, et sacro ministerio omnia respondere. Oro sic omnia disponas, ut Sacerdotes tui assiduo labore literis vacent, et eam adquirant scientiam, quae obeundo muneri est necessaria; lectioni praecipue Scripturarum operam dantes, cum inde praeter caetera, sanctiores regulae de componendis moribus hauriantur. Ipsis in mentem revoca quod Hieronymus inquiebat « Sacerdotem Domini esse non posse, qui Domini legem ignorat » illudque Patrum II. Concilii Niceni « Substantiam Sacerdotii nostri esse eloquia Divinitus tradita ». Te denique obtestor, sic praesenti operi instes, ut nostrae Dioecesis Clerici, si forsitan, in praesens usque, aliqua terrenarum rerum licentia detenti fuere, ad honestiorem vitae rationem perducantur, et sic de reliquo vivant, ut bona vita ipsis, aliis eorum etiam prosit bona fama.

VIII. Reliquum est, ut vos etiam alloquar, paucis tamen, Venerabiles Fratres. Si sancta haec Dioecesana Synodus tot sanctissimis institutis, aequis Legibus, et decretis id unum consilii habuit, ut Nos ad saniorem mentem revocati, honestioris vitae initium ordiamur; ut sapientiam, charitatem, prudentiam, caeterasque virtutes semper, et ubique sectantes, revera simus quod esse debemus, lucernae scilicet in candelabro positae, ut luceat lux nostra omnibus, qui sunt in domo Dei, sinite Vos exorem, ne ea incassum lata esse pa-

tiamur. Executioni potius instanter demandentur, memores quod leges sine moribus vanae proficiunt. Nunquam oblivioni demus, jam omnibus praesidiis suppeditatos esse, ut ad Dei gloriam fortiter contendamus. Hinc enim Sacrorum scita provocante illinc virtutem Praesulis argumenta compellunt. Et hic unicuique Vestrum repetere abs re non erit « Inspice, et fac secundum exemplar » Haec igitur intueamur, maneant haec alta mente reposita. Sic unusquisque nostrum fidelem Ecclesiae Dei operam novare discat. Sic perennis harum constitutionum fructus huic Dioecesi constabit. Sic denique fiet, ut Nos qui cum Christo Sacerdotio fungimur in Terris, laudem hebeamus in nomine ipsius, illi offerentes incensum dignum, fructus videlicet bonorum operum in odorem suavitatis.



CATALOGUS

SANCTÆ MARSICENSIS ECCLESIÆ

ANTISTITUM,

QUI ET GRUMENTINI DICTI SUNT,

ANTIQUIS EX AUTHOGRAFIS REDACTUS.



I.

370 SEMPRONIUS Grumentinus. In antiquitatis latebris delitescit Marsicanae Sedis Antistitum notitia, et hoc anno 370 creatus legitur a S. Damaso Papa Sempronius, ut etiam ex Regali Diplomate praevia Declaratione Apostolica de die 3 mensis Maii anni 1820 in Collectione Actorum circa Novissimum Concordatum. Part. 3 N. 14, Pag. 16, e 17 in Tabula comprobatur.

II.

RUDOLPHUS ALANO, Successor Sempronii, patria, et annus praecisus ignoratur. Ejus in tempore Ecclesia aucta fuit Sacris Ministris, et ornamentis.

III.

580 JULIANUS etiam Grumentinus, quem Pelagius Papa 2. meminit in Decreto Part. 6 Cap. 112 apud Ivonem circa annum 580, qui Pontifex eidem Episcopo dedit Epistolam; Can. Litteras 14 Distinct. 53.

IV.

853 Tuderisius Marsicensis, subscripsit Decreto Leonis Papae IV. a quo fuit creatus Episcopus, damnando Anastasium Cardinalem: extat memoria in dicto anno 853 apud Baronium.

V.

Grimaldus, quo Episcopo, accidit in Marsicen Civitatem S. Januarii Martyris Episcopi Carthaginensis, Patroni Principalis Civitatis, et Dioecesis, Translatio, ut ex Martyrologio ejusdem Cathedralis Ecclesiae sub die 26 Augusti: ita etiam apud Bullandistas, et apud Ughellium Ital. Sacr. tom. 7 colon. 695.

VI.

1095 Gisulphus Episcopus, qui Abbati S. Stephani duas Ecclesias in Territorio Calvelli donavit.

VII.

1096 Joannes Episcopus, Congregationis Cassinensis, et S. Romanae Ecclesiae Cardinalis, ut ex Archivio Monasterii Cavae, ubi legitur praedicto anno Episcopus Marsicen, et Grumentinus.

VIII.

Joannes etiam Cassinensis, Episcopus, ex Arnoldo Vivon. Lib. 2 Ligni vitae.

IX.

1123 Leo Episcopus modo dictus Grumentinus,

modo Marsicensis Episcopus: a Callisto II. deputatus ad examinanda miracula, a Deo patrata per Venerabilem Servum Suum Gerardum quondam Episcopum Potentinum, ut Sanctorum Fastis adscribi possit: ita ex Actis Beatificationis Ejusdem.

X.

1131 Henricus ab Honorio III. creatus Episcopus, qui transtulit ab Ecclesia S. Michaelis Ecclesiam Cathedralem, et aedificavit loco, quo jam cernitur.

XI.

1144 Joannes pariter Cassinensis, Episcopus. Ejus rogatu Sylvester Marsici Comes Pagum Tramutolae sub die 13 Septembris 1145, Monasterio Cavensi donavit. Ibi nominatur Episcopus Marsicensis Sedis Grumentinae, ut ex citato Cavae Archivio. Ughell. cit. loc. Col. 103.

XII.

Joannes quoque Cassinensis, Comitis Marsici Filius; anno 1166 interfuit Concilio Lateranensi sub Alexandro III. Jurisdictionem Spiritualem enunciati Pagi Tramutolae cessit Abbati Caven. Ita Monacell. tom. 4 Decis. 4. Fol. 184, N. 2 Ughell. cit. loc. col. 729.

XIII.

1198 Joannes Lenuo hoc nomine etiam Episcopus Marsicensis.

XIV.

1200 Benedictus Episcopus, Romanus.

XV.

1210 Anselmus Episcopus.

XVI.

Benedictus Episcopus, Patria Reatinus.

XVII.

1222 Rogerius Episcopus, qui Ecclesiam Burgentiae multis decoravit privilegiis.

XVIII.

Alexander Papa IV. rescripsit Anibaldo Cardinali Basilicae duodecim Apostolorum, Ejus Pontificatus anno 5.°, octavo Kalendas Septembris anni 1259, de provisione Episcopatus Marsici vacantis: sed ignoratur nomen Episcopi electi; ut ex Registro Vatican. num. 208.

XIX.

Frater Reginaldus, seu Reynaldus, Siculus, Ordinis Praedicatorum sub Clemente II. Episcopus: a Gregorio X. ad Ecclesiam Messanae translatus: ex eodem Registro, Epist. 72 fol. 109.

XX.

1275 Frater Reginaldus de Piperno etiam Ordinis Praedicatorum, Socius fere individuus S. Thomae Aquinatis, qui discessurus ad Lugdunense Concilium, Marsicum se contulit ad Sororem Suam Theodoram, uxorem

Rogerii Comitis Marsici, ac Neptem suam in Monasterio Monialium S. Thomae Martyris Abbatissam, valedicendas; ideoque a Capitulo Marsicensi Frater Reginaldus electus fuit Episcopus, et a Gregorio X. confirmatus, quinto Kalendas Julii anno 1275. Ughell. loc. cit. col. 711 et sequ.

XXI.

1293 Joannes de Vetere, Salernitanus Episcopus, de quo inscriptio marmorea in Campanaria Turri Ecclesiae Cathedralis extat.

XXII.

1305 Mattheus Episcopus, cujus mentio habetur in donatione bonorum Monasterio S. Thomae, seu Abbatissae Dominae Agnetis Aquinati Doctoris Angelici, ut supra Nepti, a suo Consanguineo Domino Thoma de S. Severino Marsici Comite, facta. Ughell. cit. loc. colon. 717.

XXIII.

1310 Joannes Acuto Episcopus de Sulmona.

XXIV.

1314 Rogerius Episcopus: Ejus memoria extat in altera donatione consimili in gratiam Abbatissae Neptis suae ab eodem Comite facta sub die 15 Februarii 1314, et 27 Februarii 1316.

XXV.

1330 Petrus Episcopus; obiit anno 1343.

XXVI.

Rogerius Episcopus, a Clemente VI. ad Ecclesiam Tricaricen die 11 Januarii 1349 translatus: ex Registr. Vatic. Epist. 143 fol. 41.

XXVII.

1349 Frater Petrus, Institutum ignoratur, Episcopus; 1353 in pace quievit: ex Registro Pontif.

XXVIII.

1353 Bartholomaeus Episcopus: Ejus nomen in quodam Ecclesiae Burgentiae Instrumento legitur.

XXIX.

1368 Bernardus Episcopus. Ipse cum Episcopo Reghin. subscripsit sententiam contra Episcopum Cassanen. sub die 15 Februarii 1368.

XXX.

1378 Thomas Episcopus. Anno 1399 vita cessit.

XXXI.

Jacobus Capadula Potentinus intrusus a Clemente VI. Antipapa, adhuc vivente Thoma, anno 1397, de quo libr. Provis. Praelat.

XXXII.

Frater Petrus Esperitus, Romanus, Ordinis Praedicatorum. In Schismate sub Urbano VI. Episcopus, sed exturbatus a Sede a Pseudo Episcopo, Romae se contulit, ubi

clausis diebus suis, in Ecclesia S. Mariae supra Minervam, anno 1383 fuit sepultus.

XXXIII.

1389 Andreas, electus Episcopus, tempore schismatis, die 7 Septembris dicti anni ab Urbano VI.

XXXIV.

Gentilis electus a Bonifacio IX., et translatus ad Ecclesiam Neocastren 1398.

XXXV.

1399 Marcus Episcopus Sarsinatensis, ad Sedem Marsicen. transfertur quinto Kalendas Augusti: eodemque anno, ab eodem Pontifice tanquam Schismaticus a Sede fuit expulsus. Ita in lib. Prov. Praelator.

XXXVI.

1399 Petrus Civis, et Episcopus Cassanen. a Bonifacio IX. ad Sedem Marsicensem die 24 Octobris 1399 transfertur.

XXXVII.

1400 Frater Nardellus de Cajeta Ordinis Minorum, ab eodem Bonifacio Papa, sub die X. Junii electus: ut ex eod. lib.

XXXVIII.

1430 Joannes Salernitanus ab Eugenio IV. creatus Episcopus, at sequenti anno cum morte commutavit vitam.

XXXIX.

1430 Frater Nardellus de Cajeta Marsicen Ecclesiam, quam resignaverat in favorem Joannis, denuo regendam suscepit.; vita decessit anno 1440.

XL.

1440 Carlottus Sorrentinus, Episcopus electus 3 idus Aprilis: obiit 1453.

XLI.

1453 Leonardus de Cajeta, creatur Episcopus die 13 Januarii. Post tres annos quievit in pace.

XLII.

1456 Petrus de Diano Neapolitanus, Episcopus, duos post annos commune debitum solvit.

XLIII.

1458 Andreas Episcopus, usque ad 1460, in quo vitam finivit.

XLIV.

1460 Frater Jampson de Cajano, Marsicensis, a Pio II. die 22 Decembris creatus Episcopus. Obiit anno 1468.

XLV.

Frater Joannes Antonius Pititto a Saponaria, Ordinis Minorum Conventualium, Marsicensem per quinque annos rexit Ecclesiam: anno 1483 in Domino quievit.

XLVI.

1483 Nicolaus Angelus de Abbatissa Salernitanus, die 17 Octobris creatus Episcopus: paucos post menses defunctus est.

XLVII.

1484 Frater Nicolaus de Medicis ex magnis Ethruriae Principibus Ordinis Minorum; die 12 Julii Episcopus creatur: anno nondum exacto, Ecclesia viduata fuit Pastore.

XLVIII.

1485 Fabritius Guarna Salernitanus; die 7 Novembris ab Innocentio VIII. eligitur anno 1499 mortalitatem explevit.

XLIX.

1499 Octavianus Caracciolo, Nobilis Neapolitanus, die 19 Martii ab Alexandro VII. electus: anno 1535 dies obiit.

L.

1535 Vincentius Buccafarro Bononiensis, Monachus Olivetanus; a Paulo III. die 10 Januarii electus, sed vita decessit cum adhuc esset in Urbe, et in Ecclesia S. Mariae Novae anno 1537 sepultus.

LI.

1537 Angelus Archilagius Amerinus electus die 27 Septembris: anno 1541 ad Sedem Assisiensem in Umbria translatus.

LII.

1541 Martius de Martiis Medici Florentinus,

die 11 Februarii Episcopus electus fuit Concilio Tridentino, et quum Venetiis morasset, tamquam Legatus Magni Ducis Ethruriae apud Rempublicam, ibi mortuus est, et sepultus die 11 Novembris anni 1573.

LIII.

1574 Angelus de Martiis Medici, Patruo defuncto, die 15 Octobris suffectus fuit: anno 1582 vitam finivit.

LIV.

1583 Aloysius Pallavicino ex Marchionibus Cavae Liguriae, a Sede Salutiarum ad Marsicensem die 8 Augusti translatus: in Urbe paulo post quievit in Domino.

LV.

1584 Frater Antonius Fera de Plano Castigriario Dioecesis Suanae, Tuscus, Ordinis Minorum Generalis Minister, a Gregorio XIII. die 9 Aprilis Episcopus electus: anno 1600 resignato Episcopatu, obiit in Sua Patria, ac in Ecclesia sui Ordinis sepultus.

LVI.

1600 Ascanius Parisi a Moliterno Marsicen Dioecesis a Clemente VIII. electus die 24 Aprilis. In patria die 23 ejusdem mensis anni 1614 cessit e vita.

LVII.

1614 Frater Timotheus Casellio Neapolitanus, Ordinis Praedicatorum, die 21 Julii elec-

tus a Paulo V. Die vero 23 Novembris 1639 morte valedixit saeculo.

LVIII.

1640 Frater Joseph Ciantes Romanus, die 4 Martii Episcopus creatur ab Urbano VIII. Synodum Dioecesanam anno 1643 summo zelo celebravit. Resignato Episcopatu, in Urbe obiit, et in Ecclesia Sui Ordinis supra Minervam sepultus est. Hic fuit, qui bona ex-Conventus S. Jacobi Seminario addixit.

LIX.

1656 Angelus Pinerius a Fiscomonte in Hetruria, Episcopus ab Alexandro VII. electus. Romae moritur die 22 Julii 1671.

LX.

1671 Joannes Baptista Falso a Marturano in Brutiis, Episcopus a Clemente X. creatus. Vitam in Castro Vejani ejusdem Dioecesis die 1. Januarii 1776 obiit.

LXI.

Joannes Baptista Gambacurta ex Ducibus Limatolae, a Clemente X. electus. Die 10. Maji an. 1783, vita cessit.

LXII.

1683 Franciscus Antonius Leopardi a Bonhabitaculo Caputaquensis Dioecesis, Episcopus die 13 Novembris ab Innocentio XI. factus: ab eodem Pontifice ad Sedem Tricaricen fuit anno 1685 translatus.

LXIII.

1685 Dominicus Lucchetti Oppidi Aliani Dioecesis Tricaricen die 31 Augusti Episcopus ab ipso Innocentio XI. electus. Die 11 Februarii 1702 obdormivit in pace.

LXIV.

1710 Donatus Azzani, ex Ariano Apuliae, a Clemente XI. die 7 Augusti creatus Episcopus. Parochiam S. Nicolai Barien Primiceriatui Cathedralis univit, et Parochiam S. Antonini ad Illam S. Marci, servata tamen ad favorem Capituli Ecclesia 1712. Dies suos 29 Julii 1732 clausit.

LXV.

1732 Alexander Puoti ab Arentio, a Clemente XIII. electus die 19 Novembris. In sua Patria obiit die 4 Augusti 1744.

LXVI.

1744 Didacus Andreas Thomacelli, ex Scylla in Calabria, die 13 Septembris Episcopus a Benedicto XIV. creatus. Sancto fine die 4 Augusti 1776 quievit.

LXVII.

1766 Andreas Tortora Nuceriae Paganorum, a Clemente XIII. die 31 Octobris creatu Episcopus. In Patrio Lare Corpus terrae dedit die 10 mensis Maji 1771 : humatus in Hospitio Trinitatis Caven. ibidem.

LXVIII.

1771 Charolus Nicodemi, ex Pago Pente Sancti

Severini, a Clemente XIV. die 29 Julii creatus Episcopus: inde translatus ad Sedem S. Angeli, et Romuleae.

LXIX.

1792 Bernaldus Maria Latorre, Neapolitanus, Episcopus a Pio V. die 3 Junii electus. Ad Ecclesiam Litterensem translatus. Summo studio juventutem instituit. Doctrina, et Verbo Dei Plebem suam edocuit, ac Ejus memoria in Benedictione est.

LXX.

1804 Paullus Garzilli Solofranus a Pio VI. Episcopus electus. Ad Sedem Bovinen. Anno 1818 translatus; dein ad alteram Suessae, ubi nunc praeest adhuc.

LXXI.

1818 Bartholomaeus de Caesare Episcopus Potentinus per Novissimum Concordatum inter Pium VII. et Serenissimum Regem FERDINANDUM I. feliciss. Record. nova facta Dioecesum circumscriptione, ut ex Bulla de die 28 Julii 1818, Regio Placito pubblicata die 15 Augusti ejusdem anni, et in perpetuum aeque principaliter Ecclesiis Marsicen., et Potentin. inter se Canonice unitis, Ecclesiam Marsicensem administravit, et bene, ac Sancte rexit, ac mense Septembris 1819 dum Neapolim valetudinis causa se conferret, Resinae mortalem vitam cum aeterna commutavit. Ejus ossa deinde anuo 1824 fuerunt translata, et in Cathedrali Potentina reposita.

LXXII.

1820 Frater Joseph Maria Botticelli Ordinis Minimorum, a Pio VII. eligitur Episcopus Marsicen., et Potentin.; anno 1822 Gallipolim translatus, dein Lacedonien.

LXXIII.

1822 Petrus Ignatius Marolda Muranus, Congregationis SS. Redemptoris, die 21 Aprilis Episcopus Marsicen., et Potentin. consecratus. Commendatarum sibi ovium custodiam, ac instructionem curat, ac gloriatur, quod invenit in Ecclesia S. Stephano dicata, et in Cathedrali Ecclesia reposuit Corpus S. Januarii Episcopi Africani, et Martyris, Principalis Patroni Marsicen. juxta antiquam traditionem, et Historiam.



DECRETUM

Ut igitur Sacerdotes omnes, et caeteri in Sacris Ordinibus constituti, ad quid teneantur, optime noscant, praecipimus, et mandamus, ut quamprimum liber harum Constitutionum typis impressus in lucem prodierit, penes se eumdem perpetuo asservare non praetermittant, sub gravi poena arbitrio nostro infligenda. In Sacristia cujuscumque Parochialis Ecclesiae alter semper adsit pro communi Clericorum commoditate diligenter custoditus. Eo magis, quod Sacra Concilii Trident. Congregatio Interpres, ac Vindex in litteris Nobis pro relationibus ad Sacra limina redditis sub die 20 Dicembris 1834, vota exprimit, imo jubet decretorum in postrema Synodo editorum observantiam inculcare, ac summo studio exigere.

Napoli 7 Luglio 1835.

PRESIDENZA

DELLA REGIA UNIVERSITA' DEGLI STUDJ

E DELLA

GIUNTA DI PUBBLICA ISTRUZIONE.

VISTA la dimanda di Monsignor Marolda Vescovo di Marsico, e Potenza, con la quale desidera di pubblicare colle stampe due Sinodi da Lui celebrati.

Visto il favorevole parere del Regio Revisore Signor D. Francesco Saverio Apuzzo.

Si permette, che detti due Sinodi si stampino; però non si pubblichino senza un secondo permesso, che non si darà, se prima lo stesso Regio Revisore non attesti di aver riconosciuto nel confronto uniforme la impressione all' originale approvato.

Il Presidente
M. COLANGELO.

Pel Segretario Generale, e Membro della Giunta
L' Aggiunto
ANTONIO COPPOLA.

Concorda coll' originale
FRANCESCO SAVERIO APUZZO.

Si pubblichi.

Il Presidente della Pubblica Istruzione
M. COLANGELO.

Pel Segretario Generale
L' Aggiunto
A. COPPOLA.

INDEX

CONSTITUTIONUM SYNODALIUM MARSIC.



INDICTIO SYNODI . . . . . pag. 3

SESSIO I. *De iis, quae ad religionem spectant.*

Caput I. *De Fide* pag. 7. — Semper custodienda *ibidem.* — Quinam Fidei professionem facere tenentur p. 8. — Forma Professionis Fidei *ibid.* Qui sunt denunciandi sub poena excom. latae sententiae p. 11. — Qui simpliciter p. 12 — Libri suspecti, vel prohibiti nec legi, nec retineri possunt *ibid.*

Caput II. *De Verbi Dei Praedicatione* pag. 13. — Necessitas Praedicationis *ibid.* -- Parochi praedicare debent *ibid.* — Alii cum Episcopi licentia p. 14.

Caput III. *De Doctrina Christiana* pag. 16. — Ad Parochos spectat, et quomodo exequenda *ibid.* Est quoque Parentum officium pag. 17. — Diligentia Parochorum, ut recte exequatur pag. 18.

Caput IV. *De Sacrae Scripturae Lectione* pag. 18. Ejus necessitas *ibid.* — Ad Cononicum Theologum spectat *ibid.* — Quinam interesse tenentur pag. 19.

Caput V. *De Sacrosanctis Ecclesiis* pag. 19. Earum Sanctitas *ibid.* — Novae Ecclesiae non erigendae, nisi de licentia pag. 20. — Quae ad decorem spectant pag. 21. — Portae *ibid.* — Mundities *ibid.* — Dealbari debent muri *ibid.* — Sepulturae bene clausae pag. 22. — In Ecclesiis nihil profanum immitti debet *ibid.* — Habeat Sacrarium *ibid.* — Quando aperiendæ *ibid.* — Altaria decenter ornata *ibid.* — Modestia servanda *ibid.* Tempore Officii Divini Laici non fint in Choro pag. 23. — Armarium Sacrorum Utensilium *ibid.*

Vasculum pro Aqua benedicta, et lavacrum lapideum *ibid.* — Parva tintinnabula pag. 24. — Opercula pro extinquendis candelis *ibid.* — Fenestrae Sacristiae *ibid.* — Archivium *ibid.* — Tabellae *ibid.* — SS. Eucharistia non potest exponi sine licentia *ibid.* — Festorum publicatio p. 25. Decentia in Ecclesiis necessaria *ibid.* — Campanae *ibid.* — Devotio, et reverentia p. 26. — Sacra Utensilia pag. 27.

Caput VI. *De Divinis Officiis* pag. 28. — Officium quid *ibid.* — Determinatis horis recitandum pag. 29. — Modestia in Choro pag. 30. — Canonicorum obligatio *ibid.* — Et circa Vestes *ibid.* — Quinam absentes censentur *ibid.* — Puniendi sunt *ibid.* — Punctatores *ibid.* — Eorum Officium sub poena suspensionis ferendae sententiae *ibid.*

Caput VII. *De Sacris Ritibus, et celebratione Missarum* pag. 32. — Quaenam observanda ante Missae celebrationem *ibid.* — Matutinum cum Laudibus antea persolvendum pag. 33. — Missarum eleemosynae pag. 34. — Quid notendum pro Sacerdotibus exteris *ibid.* — Sine licentia in Ecclesiis Sanctimonialium celebrari non potest pag. 35. — Sacra Ornamenta omnino propria *ibid.* — Missae ordinatim celebrandae pag. 36. — In Capellis celebrari non potest, dum Concio fit in Matrici Ecclesia *ibid.*

Caput VIII. *De Processionibus* pag. 36. — Ab Episcopo sunt indicendae pag. 37. — Ordo servandus *ibid.* — Et in Apparatu Funebri pag. 38.

Caput IX. *De Dierum Festorum observantia.* — Dies Festus quando incipit, et quae servanda pag. 38. — Quomodò sanctificandus *ibid.* — Violatio Casus reservatus pag. 40.

Caput X. *De Sanctorum Reliquiis* pag. 40. — Superstitio vitanda pag. 41. — Novae Reliquiae exponi non possunt sine licentia *ibid.* — Nunquam in Altari, in quo SS. Eucharistiae Sacramentum est expositum *ibid.* — Pars vel mini-

me a thecis non extrahatur: a Laicis nunquam tractentur: de uno ad alium locum non transferantur: in privatis Aedibus nunquam serventur *ibid.*

Caput XI. *De Jejunio* pag. 43. — Ejus utilitas *ibid.* — Constitutiones Benedicti XIV. et Regulae servandae *ibid.* — Jejunium Quadragesimale fideliter inculcetur pag. 44. — Dies jejuniorum denunciandi *ibid.* — In diebus exurialibus dapes vetitae publice non exponantur *ibid.* — Quaenam prohibentur in jejunii diebus *ibid.*

Caput XII. *De Caerimoniarum Magistro* pag. 45. — Sit in omnibus Ecclesiis *ibid.* — Praxis Sacra per illos instituatur *ibid.*

SESSIO II. *De recta administratione, et susceptione Sacramentorum.*

Caput I. *De Sacramentis in Genere* pag. 47. — Claves Tabernaculi penes quem pag. 48. — A quibus Sacramenta administrari debent *ibid.* — Quomodo *ibid.* — Statim administranda pag. 49.

Caput II. *De Baptismo* pag. 50. — Baptismus quid *ibid.* — Effectus *ibid.* — Nomina imponenda pag. 51. — Differri non debet *ibid.* — Patrini *ibid.* — Officia Patrinorum pag. 52. — Quinam munere Patrini fungi non debent *ibid.* — Parochorum obligationes post Baptismum pag. 53. — Administrari debet in Ecclesia pag. 54.

Caput III. *De Confirmatione* pag. 54. — Quo tempore, et quo loco est administranda pag. 55. — Quo ordine pag. 56. — Effectus *ibid.* — Parochorum munus pag. 57. — Nomen Confirmandi potest immutari pag. 58. — Patrini a quibus designantur *ibid.* — Quinam excluduntur a munere Patrini *ibid.* — Ritus servandus pag. 59. — Spiritualis Cognatio inter quos *ibid.* — Confirmandorum dispositiones *ibid.* — Ante Benedictionem non discedendi *ibid.* — Privato ritu quandoque administratur pag. 60.

Caput IV. *De Eucharistia* pag. 60. — Quid est.

ibid. — Effectus quoad Animam pag. 61. — Et quoad Corpus pag. 62. — Tabernaculum quomodo debet esse pag. 63. -- Ante idem Lampas ardere debet *ibid.* — SS. Viaticum quomodo deferendum pag. 64. — Eucharistia quando suscipienda *ibid.* — Infirmis quando administranda pag. 65. — Quibus deneganda *ibid.* — Sine Licentia non est publice exponenda pag. 66.

Caput V. *De Sacrificio Missae* pag. 66. — Dispositiones necessariae p. 67. — Sacerdotibus nuper ordinatis celebrare non licet, nisi de licentia *ibid.* — Quid observandum pro Sacerdotibus exteris *ibid.* — Quaenam ante Missae celebrationem sunt observanda pag. 67.

Caput VI. *De Poenitentia* pag. 68. — Quid est *ibid.* — Effectus pag. 69. — Quando Confessionis praeceptum obligat pag. 70. — Quomodo debet esse *ibid.* — Contritio quid, et quotuplex pag. 71. — Contritionis qualitates pag. 72. — Quibus absolutio deneganda pag. 73. — Confessarii dotes *ibid.* — Regulae, et obligationes tam circa Confessionem, quam circa Sollicitationem *ibid.* — Casuum reservatio pag. 74. — Casuum Moralium Conferentia pag. 75. — Indulgentiae pag. 76. — Casus Reservati pag. 77.

Caput VII. *De Extrema Unctione* pag. 80. — Quid est *ibid.* — Materia, et forma pag. 81. — Effectus pag. 82. — Quibus administranda, necne pag. 83. — Minister *ibid.* — Quomodo deferenda *ibid.* — An reiteranda pag. 84. — Ubinam Olea Sancta conservanda *ibid.*

Appendix de Sepulturis, Funeribus, et Exequiis p. 85. Ecclesiastica sepultura quibus denegatur *ibid.* — Cadavera prius benedicenda *ibid.* — Ordo servandus in Funeribus pag. 86. — Via, per quam cadaver asportandum p. 87. — Pauperum cadavera gratis sepelienda *ibid.* — Anniversaria pro Episcopis, et Sacerdotibus defunctis facienda *ibid.* — Sepultura etc. pacisci non potest pag. 88. —

Quae praesertim servanda in exequiis *ibid.* — Sepulturae infra terram *ibid.* — Ecclesia non excavanda pro sepultura *ibid.*

CAPUT VIII. *De Sacramento Ordinis* pag. 89 — Quid est: Materia: et Forma *ibid.* — Effectus pag. 90. — Vocatio, et ejus signa *ibid.* — Edictum pro Ordinationibus habendis pag. 92. — Habitus Clericalis deferri debet cum licentia Episcopi pag. 93. — Requisita pro Clericali Tonsura *ibid.* — Requisita pro Minoribus Ordinibus *ibid.* — Requisita pro Sacro Subdiaconatus Ordine pag. 94. — Requisita pro Sacro Diaconatus, vel Presbyteratus Ordine *ibid.* — Nemo per interpositas Personas promovendus pag. 95. — Tractatus Morales ex integro exponendi pro Sacerdotio *ibid.* — Elenchus Requisitorum pro Tonsura, et Ordinibus Minoribus pag. 96. — Pro Sacro Subdiaconatus ordine pag. 97. — Pro Sacro Diaconatus, et Presbyteratus Ordine *ibid.*

CAPUT IX. *De Sacramento Matrimonii* pag. 98. — Quid est *ibid.* — Consensus, aetas, et instructio in Fidei rudimentis prius inquirenda *ibid.* — Denunciationes praemittendae *ibid.* — Sponsis ante matrimonium impedienda cohabitatio pag. 99. — Quaenam praecipue observanda pro celebratione matrimonii *ibid.* — Liber pro matrimoniis pag. 100. — Cautio adhibenda pro impedimentis occultis *ibid.* — Elenchus Requisitorum *ibid.*

Appendix de Concubinariis pag. 101. — Enormitas concubinatus *ibid.* — Non absolvendi, nisi post veram resipiscentiam pag. 102. — Similiter peccatores pertinaces *ibid.* — Concubinarii obstinati denunciandi *ibid.*

SESSIO III.

CAPUT I. *De Vita, et Honestate Clericorum* pag. 103. -- Dignitas Clericalis *ibid.* -- Aleae, et Ludi in plateis, vel in loco publico prohibentur sub poena Suspensionis ipso facto p. 103. -- Crapula, et ebrietas pag. 104. — Theatra *ibid.* —

Negotia saecularia *ibid.* — Venatio, necnon Advocati munus p. 105. — Chirurgia *ibid.* — Familiaritas, et cohabitatio cum mulieribus suspectis *ibid.* --- Quaenam a Clericis minoribus observanda p. 106. -- Usus Rocheti prohibitus, nisi ex Apostolico Indulto *ibid.*

CAP. II. *De Habitu, et Tonsura* pag. 106. — Vestis talaris in Sacris Functionibus sub poena suspensionis latae sententiae pag. 107. -- Calceamenta; pileus *ibid.* -- Tonsura *ibid.*

Caput III. -- *De Capitulo Cathedralis Ecclesiae* pag. 108. -- Quot Dignitatibus, et Canonicis constat *ibid.* -- Quibus Insignibus ornandi p. 109 -- Quaenam ad Arcidiaconum spectant *ibid.* -- Quaenam ad Primicerium *ibid.* — Quaenam ad Cantorem pag. 110. -- Quaenam ad Capellanos *ibid.* -- Quaenam ad Inservientes *ibid.* -- Cleri receptitii providendi ad normam Brevis *Impensa* pag. 111. -- Conclusiones Capitulares quomodo exequendae *ibid.*

Caput IV. *De Parochi Officio, et ejus Residentia* pag. 112. -- Officium, ad quae extenditur *ibid.* --- Libri Parochiales penes eum pag. 113. -- Residere debet in sua Parochia pag. 114.

Caput V. *De Seminariis* pag. 115.

Caput VI. *De Monialibus* pag. 115 -- Clausura religiose conservanda sub poena Excomunicationis ipso facto pag. 116. -- Quid rigide observandum de iis, qui de licentia ingredi possunt pag. 117. --- Clausurae janua clavibus custodienda pag. 118. -- Sine licentia cum monialibus non colloquendum *ibid.* -- Quae ad clausuram attinent ad Episcopum referenda *ibid.* --- Sine Abatissae permissione litterae non scribendae *ibid.* -- Monialium obligationes *ibid.* -- Votorum stricta observantia pag. 119. -- Quae ad Novitias spectant *ibid.* -- Quae ad Educandas attinent *ibid.* -- Numerus Monialium pag. 120. -- Sumptus

proprio nomine nunquam permissi pag. 120. -- Peculium eis prohibitum pag. 121.

CAPUT VII. *De Archiviis* pag. 121. -- In Cathedrali in omnibus Ecclesiis, in Seminario, et in Sanctimonialium Monasteriis esse debet Archivium fideliter custodiendum sub poena Excommunicationis latae sententiae pag. 122. -- Nulla Scriptura sine licentia extrahenda *ibid.* -- Neque Autographa, vel exemplaria *ibid.*

Synodi Subscriptio pag. 123.

ACTA SYNODI pag. 125.

Decretum de Modo vivendi in Synodo pag. 128.

Decretum de Synodi Officialibus ibid.

Decretum de Praejudicio non inferendo pag. 130.

Decretum de non discedendo pag. *ibid.*

Decretum de Fidei professione ibid.

Continuatio I. *Sessionis* pag. 136.

Decretum Continuationis Synodi p. 137.

Examinatores Synodales p. 139.

Judices Synodales p. 141.

Continuatio II. *Sessionis* p. 142.

Continuatio III. *Sessionis* p. 144.

Publicatio Synodi coram Testibus p. 146.

DISCORSO PASTORALE dell' Eccellentissimo, e Reverendissimo Vescovo p. 147.

Oratio Reverendissimi Vicarii Generalis in II. *Synodi Sessione* p. 161.

Oratio Admod. Reverendi Archipr. Ecclesiae Viggiani in III. *Synodi Sessione* p. 172.

Catalogus Antistitum S. Marsicen. Ecclesiae pag. 180.

Decretum p. 194.



		ERRATA	CORRIGE
		—o—	—o—
pag. 14	v. 18	pretextu	praetextu
pag. 16	v. 7	parentibus	parentes
pag. 34	v. 31	suorom	suorum
pag. 35	v. 1	quod	quoad
	v. 14	Pentecostis	Pentecostes
pag. 36	v. 14	moltitudo	multitudo
pag. 37	v. 2	sivo	sive
pag. 39	v. 5	Originis	Origenes
pag. 43	v. 9	et mens	si mens
pag. 45	v. 7	Cœrimoniæ	Caerimoniae
pag. 56	v. 17	moltitudinem	multitudinem
	v. 25	Mediolanense	Mediolanensi
pag. 60	v. 25	dulcedium	dulcedinum
pag. 62	v. 12	refrenatio	refraenatio
pag. 63	v. 29	dieque	diuque
pag. 64	v. 12	intorticiis	intorciis
pag. 68	v. 31	cum in tentatione	cum intentione
pag. 71	v. 24	differet	differt
	v. 31	succepto	suscepto
pag. 75	v. 8	noncupat	nuncupat
	v. 18	tranquillitate	tranquillitati
pag. 83	v. 1	innotescant	innotescat
pag. 91	v. 12	*mercenarius*	*mercenarios*
pag. 98	v. 9	Math.	Matth.
pag. 110	v. 34	Ecclesis	Ecclesiis